

PLINIANA.

Cum satis constet, ad litteras has accuratius cognoscendas nihil plus conferre, quam orationis *singulorum* scriptorum diligentior pervestigationem et explicationem sermonis qui singulis fuerit peculiaris, non a re esse duximus oblata hac occasione pauca ex inchoato nuper proferre opusculo, quae etiamsi imperfecta et minus limata promere non reveremur, memores illius dicti, nullum librum damnari posse, qui non aliqua ex parte prosit.

C. Plinii Secundi maioris, Veronensis, qualis fuerit ars et dicendi genus, nunc uberius explicare supersedeo, id tantum omnino tralaticium repetam, cum res tractaverit Romanis magnam partem novas, incompertas et peregrinas, eum etiam coactum fuisse plura aut plane novitia fingere, aut ex analogia receptorum alia formare, quae fortasse nemo ante eum usurpasset. Jam igitur constituimus paucis his paginis specimen, ut ita dicamus, lexicum Pliniani condere, ita tamen ut omissis vocabulis peregrinis, nominibus plantarum animaliumque et omnibus, quae communia sunt Plinio cum aliis et usu trita, haec tantummodo proferremus, quae eius propria fuisse viderentur et ab eo formata novataque. Percensentes igitur varia partium orationis genera primum exposuimus ea nomina, quae ad certam quandam classem referri poterant et una terminationum affinitate continentur, tamen *apud solum Plinium* leguntur;* tum ea explicare studuimus, quae sunt quidem etiam apud alios scriptores obvia et usu communi trita, sed apud Plinium novam et insolentiorum recipiunt significationem; tandem percensuimus singulas glossas vel voces Plinianas, quae cum ad certum ordinem et genus verborum referri non possent, singulatim erant enumeranda. — Duo etiam addemus capita, quae ad explicationem constructionum vel syntaxin pertinent.

CAP. I.

De substantivorum ratione.

§. I. Ex iis, quae *io* syllaba terminata a supinis verborum ducta statum, ut vulgo dicunt, verbi abstractum significant, haec apud Plinium solum leguntur:

*) Jam hoc loco ne in arrogantiae crimen incurram, quippe qui tantum mihi sumserim, ut quae Plinio *soli* tribuenda sint, edicere ausus sim, confitear necesse est, me loxicographorum hac in re testimonia secutum, omnia ea vocabula inter Pliniana rettulisse, quibus nulla alia adscripta est auctoritas, praeter Plinianam. Quod si illi erraverint, erroris huius consors ero, verum utut erit, hoc certe aequos et Plinianae orationis gnaros iudices consensuros esse persuasum habeo, me non incuriose esse vagatum, sed ea expromsisse, quae ad artem *et* orationem auctoris explanandam conferunt. Quae in schedis habeo ex aliis scriptoribus excerpta et ad rem explicandam apta propter loci ad scriptionem concessi angustias mittere cogor.

Articulatio de arboribus, cum veluti per articulos seu nodos crescunt et de morbo vitium peculiari. XVII. c. XXVII. 6. *Bullatio* XXXIV. c. XLII. de magnetis genere non caute continua, sed bullarum instar (i. e. sparsa *bullatione*) per agros sparso. Alii codd. habent *bubbatione*, quod plane nihil est. (Sic *bullantes* rugae mali torcularis i. q. in bullae morem rotundatae; ubi v. Harduinum.) — *Carbunculatio* XVI. c. XXXVII. 4. qui morbus arborum in vitibus quoque *carbunculus* dicitur. — *Coagulationis* lactis XXVIII. c. XLV. — *Catulitio* XVI. c. XXXIV. (XXV.) sive *catlitio* a *catuliendi* verbo ὄργῶν, καρῶν, de terra dictum, quae Favonio flante verno tempore ad gignendum quasi turgere incipit. *Colostratio*, morbus pullorum et infantium; unde *collostrati*, hoc morbo laborantes; XI. c. XCVI. et XXVIII. c. XXXIII. — *Cratitio*, plane ignotum et in lexicis, quod sciamus, omissum, in Elencho lib. XVIII. (T. I. p. 95.) a *cratiendi* verbo, quod idem apud Plinium tantummodo legitur estque id quod *crate* terram scindere et complanare, occare, pectinare. — *Exinanitio* de alvi ἐξενώσει usurpatum, sed XVII. c. II. translate: *florescendi exinanitio* i. q. florum emissio, qua vis omnis arborum exhauriatur, arbores igitur fetu exinaniantur. Jam *detruncatio*, *decacuminatio* XVII. c. XXXVII. q. *depastio* XVII. c. XXXVII. 8. etiamsi solius Plinii propria, explicatione non egent, quemadmodum *caprificatio* ἐρυνασμός ibid. c. XLIII. Satis etiam nota illa infantium *dentitio* XXVIII. c. LXXXVIII.; *exacutio* (acuendi actus) XVII. c. XXIV.; — sanguinis *exspuitio* XXIII. c. XIV.; — corporis *excalfactio* XXI. c. XLV.; — oculorum *delacrymatio* XX. c. XX., quam fumus facit; *effascinatio* XIX. c. XIX. (IV.) i. q. simplex fascinatio; — *eviratio* pro depilatione usurpatum XXIX. c. VIII. (pilorum eviratio); — genarum vel stomachi *erosio*, quod passim legitur; — *formicatio* a *formicandi* verbo, quod etiam Plinius finxit, ut graecum μωρμηκίαν converteret, μωρμηκίαις XXVIII. c. XX. (VII); — *fruticatio* in arboribus de stolonum copia; — *interlucatio* cuius verbum (interlucandi) etiam apud Plinium tantummodo invenitur, XVII. c. XIX. de arboribus, quibus rami amputantur, ita ut quantum earum opacitati detrahatur, tantum luci accedat; — *lymphatio* συμφοληφία XXXIV. c. XLIV.; — *perfrictio* aut a *frigendi* verbo, de accessione febris passim apud Plinium legitur, aut a *fricandi* verbo, significans vulnus cutis fricando male affectae, idem fere atque *intertrigo* XXI. c. LXIX.; — *nictatio*, nictandi actus, XI. c. LVII.; — *recreatio*, ἀνάργωσις XXII. c. XLIX.; *plantatio* XXI. c. X.; — *redormitatio* vel *redormitio*, redormiendi actus X. c. XCVIII.; — *roratio* XVII. c. XXXVII. 6. vitium morbus; hae enim praeter vermiculationem, sideratione et articulatione laborant; siderationis genus est *roratio* quando uva deflorescente ros frigidior acinos infestat, ita ut hi defluant; — *repumicatio* i. q. politio pumice facta XVII. c. XXXIX. (XXV.) quod non habet verbum a quo ducatur; at erat *pumicandi* verbum; — *scintillatio* oculorum, ex *Catone* sumtum XX. c. XXXIII. (IX.), quando oculi scintillas vel radios quosdam obliquos et frequentes crebro micatu emittere videntur; — *suffrenatio* (verbo suo *carens*) XXXVI. c. XLIX. de lapidibus arcte constrictis, — *vermiculatio* supra commemoratum, cui morbo vitium in iumentis respondet *verminatio* XXVIII. c. XLIX. — Vulvae morbus *strangulatio* saepississime commemoratur (*subatio* et *sarculatio* aliis etiam communia); — huc tandem pertinet *vernatio* de actu exuendae pellis serpentis et de senectute eius ipsa XXV. c. VI.

§. 2. Horum nominum magna est affinitas et significationis similitudo cum nominibus in *ura* exeuntibus, quae Plinius prae ceteris scriptoribus adoptasse videtur. Huc pertinent: *conflatura* i. q.

conflandi ratio VII. c. LVII. (LVI.); — *confectura* mellis XXXIII. c. LVII., (quamquam hoc vocabulo iam Columella usus erat); — *castratura* XX. c. I. apud Plinium translata magis significatione (ut *castratus*) de diligentiore purgatione farinae per cribrum pollinarium; differt a *castratione* i. e. ramorum amputatione XVI. c. LXXXVI. 3.; — *circumcisura* i. q. incisio per orbem facta XVI. c. LXXXIX.; — *concisura* vel *conscissura* dicitur de statu, quibus olim deauratis, detracto auro, auri aliquid in cicatricibus remanet XXXIV. c. XIX. 6.; — *divisura* XVI. c. LIII. »abieti subrecta divisura;« aliis locis folia dicuntur scissa pluribus *divisuris*, quam significationem habere etiam vocab. *incisura* statim dicemus; — *fusura* i. q. *χύσις* XXXIII. c. XXXV., quocum conferendum ibd. c. XXXVII. *lotura*; — iam vocem *indicatura* apud Plinium peculiarem habere significationem pro indicio pretii vel aestimatione Harduinus docuit; cf. XXIX. c. VIII. (I); h. l. enim Plinius de medicorum avaritia disserens, *dolorum indicaturam* commemorat i. e. pactam cum aegris pecuniam, ut dolores eorum sedentur. — *Incisura*, quamquam hoc etiam apud Columellam legitur, Plinius tamen suo more dixit de *divisuris* foliorum, insectorum; item de lineis quae dicuntur in manibus atque de pictura cf. XXXIII. c. LVII. ubi est idem atque *commisura* colorum, si color colori in pictura committitur, idem igitur quod *harmoge* XXXV. c. II. — *Nomenclatura* in praefat. libri III. pro recitatione, enumeratione, sed XXI. c. XXVIII. »nostris huius nomenclaturae defuit cura« i. q. cura nomina his rebus inveniendi et imponendi. — *Pistura* XVIII. c. XXIII. explicatione non eget; reliqua huius generis, quod sciamus, non sunt Plinii propria. *Sartura* per syncopen pro *sarritura* XVIII. c. LXVII. 2.

§. 3. Sequitur classis nominum in *mentum* exeuntium, *) quae omnino posteriorum scriptorum magis propria fuisse nemo est qui nesciat. Significant aut actum aut rem, quae verbo efficitur vel quae ad notionem verbi consequendam apta est. Pliniana huius generis sunt: *aeramentum* omne opus ex aere factum, vasa culinaria; XXXIII. c. XXX. dicitur stannum glutinum esse *aeramentis* i. q. omnino aeri; *capillamentum* quod vocabulum propria significatione sane aliis etiam scriptoribus fuit usurpatum, sed apud Plinium per similitudinem de variis rebus dicitur, ut de tenuibus filis foliorum vel radicum, etiam de aluminis genere scissili, quod in *capillamenta* quaedam dehiscens adpellat, graece apud Dioscoridem *ἐξασμένη κατά μονάδας πολλαῖς θριξίν ἐμφερῶς* XXXV. c. LII., at XXXVII. c. X. in crystallo dicit esse *capillamentum* rimae simile, quod artifices caelatura occultent, quae rimae similia capillamenta etiam mensis vel potius ligno adscribit XIII. c. XXX. — *Conamentum* insolentiore significatione positum XIX. c. VII. (2.), quo loco narrat spartum laboriose evelli, ocreatis cruribus, . . . convolutum osseis ligneisque *conamentis* i. q. bacillis vel fustibus teretibus, quibus vellentium *conatus* iuветur et minuatur labor. — *Coronamentum* omne florum genus nectendis coronis *aptum*, atque *odoramentum* Plinius hausit ex Catoe et Columella, nec eius solius propria sunt, rariora tamen *crementum* pro incremento XI. c. LV.; — *duramentum* i. q. duramen, duriora sarmenta, vitis brachia, ex ipso trunco enascentia, ex quo palmites teneriores pullulant XVII. c. XXXV. 25. et *linamentum* fila vestesque lineae; — at mere Plinianum est *glutinamentum* i. q. locus glutinatus, XIII. c. XXV.; — *nucamenta*, orum XVI. c. XIX. i. q. conii, nuces, *χότταροι*, quae panicularum modo squamatim compacta ex abietibus vel piceis dependent;

*) Unum in *men* — *laetamen* pro fimo in deliciis habuit Plinius.

— *obturementum* quo quid obturatur XXXIII. c. XI. (IV.); *recisementum* i. q. frustum exiguum a re aliqua recisum, (vel *resegmen*, quod etiam apud Plinium solum legitur) XXXIV. c. XXVI.; — *piamentum* et actionem significans et rem, qua ad expiationem utebantur, quamquam etiam apud Senecam vocabulum hoc legitur; at nemo unquam praeter Plinium dixit *secamentum* XVI. c. XVIII. »materia piceae ad fissiles scandulas et pauca alia secamenta« i. q. opera sectilia; tandem *sedimentum* actionem significans XXXVI. c. XV. (X.) »molis sedimentum« i. q. subsidientia.

§. 4. In reliquorum generum nominibus pauca Pliniana reperiuntur. Verbalium classi adscribenda: *anhelator* i. q. orthopnoicus XXI. c. LXXXIX; *infestator* VI. c. XXXII; — *inoculator* XVIII. c. LXXXVI; dictum ut *insitor*; *reunctor* XXIX. c. II. cuius ministerio medici iatrolepticon profitentes utebantur; *exercitator*, quod ter legitur, commune videtur. Feminini generis minus usitata: *concitatrix* (eruca Veneris) XIX. c. XLIV; — *duratrix* firmitas XIV. c. III. (1.); — *olfatrix* vel *olfactrix* XVII. c. XXXVII. 10., ubi sic dicitur vitis, quae raphanum fugit, odoris eius impatiens; — *hebetrix* II. c. X. umbra hebetrix lunae; — natura *refrigeratrix* XIX. c. XXXIII.

In *entia* exeuntia propria Plinii *corpulentia* II. c. CVIII. i. q. *πολυσαρκία*, et *dissidentia* i. q. dissidium XXIX. c. XXIII.

Terminationis *itia* (ab adiectivo ducti nominis) est *lentitia* *γλισχροτήης* saepe usurpatum; rarior etiam forma *canitia* pro canities XXXI. c. XLII.

Statum significantia in *ugo-udo* pauca quae commemorantur digna; *limpitudine* maris XXXII. c. LIV; *nigritudo* X. c. LII; — *tabitudo* i. q. syntexis, macies XXII. c. LXI.; *pinguitudo* etiam apud alios scriptores legitur. At Plinianum est, quod saepe commemoratur, *albugo* i. q. macula alba in cornea oculorum tunica ex humore coalescens; etiam genus furfuris in capite. Difficilior explicatu est *melligo*; sic vocatur ex Harduini sententia primum veluti tectorium, quo solum apes obliniunt contra bestiarum incursus XI. c. V.; aliter intelligendum XII. c. LX. ubi de ratione qua fiat oleum e vite: In prima lanugine demetitur uva eiusque *melligo* — ubi vid. Harduin. *Lentigo* cutis vitium saepe legitur; *pulligo* i. q. pullus color VIII. c. LXXIII.; — *salsugo* est etiam apud Vitruvium, Plinius autem semel XVIII. c. XXXII. dixit pro eo *salsilago*.

De his quae ab adiectivis descendunt et syllabis *itas* terminantur, haec minus usurpata apud Plinium invenisse nobis videtur: *fabulositas*, cum aliis locis tum IV. c. I. »Omnis Graecorum *fabulositas* (i. q. fabulandi vanitas) sicut et litterarum claritas ex hoc sinu effulsit;« *furacitas* X. c. XLI; — *ariditas* XI. c. XLI; — *nervositas* XIX. c. II. 1; — *salacitas* pluribus locis et *ἄπαξ εἰρημένον* *superfuitas* i. q. nimia abundantia XIX. c. III.; *vitalitas* passim usurpatum.

§. 5. At nullius generis nominum maior est apud Plinium proventus quam nominum quartae declinationis, non dico illa, quae ab adiectivis descendunt, ut *bimatus*, *trimatus*, *quadrinatus*, quin etiam *quinatus* XIII. c. LXX. (XLV.) [quam formam apud Plinium tulerim, etiamsi R. 1. 2. et Par. l. l. *quinquennatu* habent] — sed verbalia, quorum ingens numerus prostat, verum plerumque in ablativo casu, ita ut nomina haec pro supinis possint haberi, quibus Plinius insolentiosem ablativi usum tribuerit. Maxime hoc locum habet in describendis remediis morborum, veluti *potu*, *linctu*, *affrictu*, *linitu*, *unctu*; cf. XXX. c. XXVII. »Cochlearum cinis *unctu* sanat; XXXI. c. XXXVIII. »Spuma aquae *affrictu*

verrucae tollit;« — ibd. c. XLV. (X.) *linctu* discutit; — XXIV. c. XV. »Sonitus aurium emendat *infusu*; ibd. c. XXXVIII. »vitices *substratu* fugant venenata — et quae sunt id genus alia, passim apud Plinium obvia. Jam si genus nominis et verbi ratio eiusmodi sunt, ut in ablativorum horum locum participium succedere possit, saepe lectionum est, quam dicunt, varietas et nonnunquam ablativus et participium in una sententia leguntur. cf. XX. c. XLVII. (XII.) de petroselino: »Praevalere contra serpentes *potu* et *linitu*« — ubi in aliis codd. est: *potum* et *linitum*; vel XXIV. c. LXI. de herba Sabina: »Partus emortuos *apposita* extrahit et *suffitu*« — ubi Ch. *suffita*; — poterat etiam esse *appositu*, cum nihil sit frequentius dictionibus: prodest *appositu*, *fotu*. Sic etiam XXXI. c. XXIII.« Ut aqua etiam tactu gelida sit etiam arte contingit, si etiam expressa in altum aut e sublimi deiecta *verberatu* corripit aera« — ubi Ch. *verberatum*. Sed haec modo adtigisse satis habemus; diligentiore rei inquisitionem mittamus.

Ac non modo in significantis morborum remediis haec verbalia usurpantur, sed etiam in aliis enuntiatis, verum in sexto tantummodo casu. Sic *concretu* XII. c. XXXV.; — *nepotatu* IX. c. LVI.; — *respersu* X. c. III.; — *intermissu* X. c. XLIII. »sine *intermissu* cantus;« — *animatu* carere XI. c. II.; — in *aestimatu* est XI. c. XV. (quamquam hoc etiam Macrobius usurpavit); — *reptatu* XIV. c. III. — *germinatu* XVI. c. XLI. quo capite aliis casibus saepe *germinatio* legitur, sed in ablat. »*germinatu* serotino florent;« — *defossu* XIX. c. XLVIII. »area in *defossu* cavata« i. q. in defodiendo. Audacius dictum XXIV. c. LXXXII. »Baculum (ex aquifolio) factum in quodvis animal emissum etiamsi citra ceciderit defectu mittentis, ipsum per sese *recubitu* propius adlabi« i. e. subsiliendo cum in terram incidit — et lib. XXXI. c. VI. »Cutiliae aquae gelidissimae *suctu* quodam corpora invadunt, ut prope morsus videri possit« i. e. exsugere corpora et propemodum mordere videntur. — Tandem *subactu* XVIII. c. XII. 2. De *substratu* enim infra dicemus. Sed sunt etiam Plinii propria, quae aliis etiam casibus leguntur, veluti *strangulatus* XXVI. c. XC.; — *luctatus* XXXII. c. V. (II.); — *lymphatus* XXXVII. c. LIV. (X.); — *emersus* pluribus locis; *spiratus* i. q. spirandi facultus XI. c. II. »arcente *spiratum* densitate humoris;« — *evectus* XVIII. c. VI. »Cato inter prima spectari iubet, ut solum sua virtute valeat . . . ut navigiorum *evectus* vel itinerum« i. e. ut navigia ultro citroque commeantia, quae merces evehant, — quocum comparandum *invectus*, etiam aliis usurpatum. Pauca sunt minus certa, ut VIII. c. LXXI. ubi haec de Apide narrantur: »Cetero secretus (i. e. reliquo tempore secreto custoditus) quum se proripuit in coetus, incedit *summotu* lictorum« i. e. lictoribus populum submoventibus — quam Harduini explicationem, utut constructio verborum offendit, probamus, praesertim quum ablativorum consequentiae rationem apud Plinium mirum quantum novatam sciamus, quod infra copiose docebimus. *Summotu* est i. q. per tempus, tempore summovendi. — At aliter se habet locus IX. c. IX. ubi de delphinis: »Properare adparet acies, quae protinus disponitur in loco, ubi *coniectus* est pugnae.« Quod Harduinus sic accipit: ubi pugnam futuram coniciunt — sane paulo audaciore ratione; nos simplicius *coniectus pugnae* circumlocutionem esse putamus pro pugna — »ubi pugnatur.« Sed iam ad alia transeamus.

§. 6. Neutra nominum adiectivorum nonnunquam insolentiore ratione substantivorum significationem induere non est praetereundum. *Rosaceum* v. c. semper sic legi omisso *oleo*, nemo est, qui ignoret; perinde atque *riguum*, *rigua* pro aqua irrigante vel loco irrigato apud Plinium passim inveniri. Inter

rariora autem referendum *mediterraneum* absolute pro loco mediterraneo IV. c. VI. (V.) Elis (sita) in *mediterraneo* et aliis locis; — *expressum*; XVI. c. XXII. huius *expressum* pingue, praecipua resina fit; — *insitum* pro insitione XVII. c. X. »Omnia haec insito restituenda.« ut *fistucatum* pro fistucatione ibd. c. XVI. »terram circa radices fistucato spissandam.« — *fossum* i. q. terra effossa XVII. c. XXXV. 4.; *farreum* absolute pro libo XVIII. c. III. — Magis etiam offendunt VI. c. XXXIX. (XXXIV.) »Hactenus antiquorum *exacta* celebravimus« i. e. curas vel opera eorum; vel XI. c. X. de apibus: »Ruentes ceras fulciunt pilarum *intergerinis* sic a solo fornicatis, ne desit aditus ad sarcendum« i. e. interstructis pilis ceras fulciunt. Nec minus remota ab usu linguae XVI. c. III. (IV.) »Postquam *bellorum civilium profano* meritum coepit videri civem non occidere« i. e. propter scelus vel scelere bellorum civilium; quod si non reieceris, fortasse etiam intacta reliqueris ibd. c. LXVI. »quod notatum apud Chaeroneam *infausto Atheniensium*« i. e. clade vel infortunio Atheniensium. Harduinus lectionem hanc utut insolentiorum iure nobis tueri videtur; ut etiam XXIX. c. I. miram sane sed codd. auctoritate confirmatam: »Quamquam non ignarus sim, nullius ante haec latino sermone condita, *ancepsque lubricum* esse rerum omnium novarum.« Quod cum vix ferendum videretur, erant qui *ac* infererent, licet ne sic quidem orationis scabrities tollatur. Imo *lubricum* substantivi loco positum est ideoque additum sibi habet alterum adiectivum. — Minus offendet *candidum* XXXVII. c. LXVI. »Perileucos fit ab ora geminae ad radicem usque *candido* descendente« quae lectio si se recte habet (in aliis mscr. enim pro *fit* — *filo* prostat) *candido* erit i. q. linea candida vel simile quid. Huc pertinet *abortivum* pro *abortu* XVIII. c. XLVI. »evanescit quodam abortivo;« — *obstetricium* s. c. officium XXXV. c. XXXVI. 33. »Jove Liberum pariente inter *obstetricia* deorum;« — *minutum* XXXIV. c. L. (XVIII.) »substrato sulphuris *minuto*« i. q. momento (hac enim significatione legitur apud Plinium *momentum*). Alia ceteris communia mittimus, ut *terrenum* XXV. c. LIV. »Aristolochiae desquamato *terreno* servantur.« *)

§. 7. Jam enarratis classibus nominum, quae ad unam terminationis et significationis paritatem revocari poterant, pergamus proferre ea usu trita et vulgata nomina, quibus Plinius novam et insolitam tribuit notionem.

Primo loco ponimus, quod sciamus a lexicographis omissum, *affectatio* pro contemplatione vel observatione usurpatum II. c. XVIII. (XX.) »Latet plerosque magna coeli *affectatione* compertum a principibus doctrinae viris.« — *Adoptio* translate de arborum insitione XVII. c. XXX. 2. *Alloquium* i. q. sermo VI. c. XXVI. »*Imbutus alloquio* sex mensium tempore« i. e. sermonem eorum edoctus. — *Aestates* Germanorum *Sommersproffen* XXXIII. c. L. (XII.) — *Arundo* pro infixis corpori assulis (*Spfitter*) plane inauditum; cf. XX. c. XXIII. — *Anhelatio* coelestis arcus XXXVII. c. XXIII. i. q. colorum micans adumbratio, german. *Farbenspiel* — quamquam h. l. *aemulatio* alii legendum censent. — Quibus significationibus *aspectus* apud Plinium legatur, iam explicarunt lexicographi, inter eos Forcellini s. v.; nos addimus locum XXXVII. c. XVIII. »cum viridis *aspectus* non transit« i. e. color. — At incognitum lexicographis *alvum* simpliciter dici de medio lapidis. cf. XXXVII. c. LIV. extr. »Aegyp-

*) Contra substantivum pro adjectivo positum VIII. c. LXXXI. »et est alioqui animal intolerandi rigoris *alvum*« i. e. animal hoc rigore nivium alitur. Apud poetas *alumnus* adjectivum esse scimus, non item apud prosaicos.

tillam Jacchus intelligit per alvum sardà nigrâque venis transeuntibus« i. q. venis rubris (hic enim sardae color est) et nigris per medium lapidem discurrentibus.

Baccæ pro nucleis edulibus; cf. intrpts. ad XV. c. XXXIV. *Centrum* aut significat *nodum* partem duriorem in lignis et marmoribus inimicam serrae cf. XVI. c. LXXVI. 7., aut in gemmis et crystallis partes quasdam duras et fragiles, ut XXXVI. c. X.; inde *acenteta* pura crystallâ. *Clavus* i. q. verrucula callosa, morbus pecudum, olearum; cf. XVII. c. XXXVII. 4. ubi dicit, hunc morbum arboris etiam *fungum* vel *patellam* appellari.

Inter nimis quaesita merito referas illa VII. c. X. »Suræ quidem Proconsulis etiam rictum in loquendo *contractionemque* linguae et sermonis tumultum . . . piscator quidam in Sicilia reddidit.« Hoc loco de morbo quodam vel vitio linguae ipsius non cogitandum, quippe quod nemo imitando reddere possit, sed de vitio sermonis; ideo *contractio* linguae idem videtur esse atque quaedam *haesitantia* linguae inexplanatae, ob quam verba non articulate et distincte, sed fracta et confusa adpellabat; hic est enim sermo *tumultus*. Jam illa X. c. XLIII. mihi quidem plane obscura; h. l. narrat lusciniâs iuniores natu versus quos imitentur accipere a senioribus atque sic doceri. »Intelligitur *emendatae correptio* et in docente quaedam reprehensio.« Quid sibi vult *emendatae correptio*? Pro *castigatione* accipi non potest, nam ordo verborum et ratio totius loci huic repugnat, nec tamen succurrit, quid sit substituendum. — Vix dignum videtur, quod proferatur XIV. c. XVII. »Caesar Dictator triumphi sui coena vini Falerni amphoras, Chii cados in *convivia* distribuit.« H. l. sane *convivia* sic absolute positum paulum offendit; exspectaveris in *singula convivia*; *convivia* enim significare certum quendam convivarum numerum, fortasse septenum, notum est. — *Crapula* legitur apud Plinium significatione differente a vulgari pro condimento vini ex pice, resina, quod sic dicitur, quia capitis dolorem facit.

Culices (plur. num.) morbus oculorum i. q. visa suffusionis incipientis, cum aegri putant oculos muscas et culices obvolitare XXV. c. XCI. (XII.) — quam significationem vocabuli in nullolexico notatam invenimus. Verba autem illa sic se habent: »succo centaurii minoris cum melle *culices* discuti, cicatrices extenuari.« — *Dapes* humanas dixit mire pro *excrementis* vel *merda* humana, quemadmodum *potus* pro *lotio*. cf. XVII. c. VI. (IX.).

Ferrumen plane nova significatione est XXXVI. c. X. pro rubigine aut colore ferri.

Impetigo de morbo *) vel vitio arborum, ut ficorum; sed est etiam corticis extimi aspera et serpens scabrities, imbris et roris putrescentis contactu excitata. cf. XVII. c. XXXVII. 4. *Linea* i. q. formido, qua in venatione utebantur. cf. Harduin. ad XXI. c. XXXIX. — *Lignum* i. q. nucleus vel vinacea uvarum; — *Lorum* pro palmitibus XIV. c. III. »Villas et domos ambiri singularum palmitibus et sequacibus loris.« *Momentum* i. q. minimae quaeque partes. cf. XXXVI. c. VI. 4. »Adeo momenta omnia artis capacia illi fuere« i. e. vel in minimis partibus statuarum artem suam ostendebat. — Inde etiam dictiones: »cum momento myrrhae;« at insolentior est huius vocabuli significatio XXXVI. c. XXVI. ubi *momentum* opponitur *circulo* et est i. q. circulus punctis constans, cum contra *circulus* significet lineam crassiorem. — De variis significationibus vocabuli *piscina* iam Forcellini copiose explicavit;

*) De aliis generibus similium morborum, de lepris, lichenibus, lentigine, psora, vitiligine h. l. disputare non vacat.

his igitur omissis transimus ad alia: *Pediculus* XIV. c. III. (I.) abnormi notione pro *fulcro* positum esse videtur: additque acinis . . duratricem illam firmitatem austeritas picis infusa pediculo. — At insolentissima est metaphora III. c. XXIV. (XX.) »Verso deinde Italiam *pectore Alpium*, Latini iuris Euganeae gentes« i. e. qua deinde versus Italiam spectant *Alpium iuga*; verum *pectus* de monte usurpatum nusquam me legere memini.

Nec minus quaesita translatio vocab. *populatio* morum i. q. luxuria et corruptio IX. c. LIII. et *ruminatio* XV. c. XXV. (XXIII.) pro replicatione: »Ceterae (castaneae) suum pabulo gignuntur, scrupulosa corticis intra nucleos quoque *ruminatione*« i. e. (ut Harduinus docet) scabro cortice intra nucleos ipsos se insinuante. Alii legunt *ferruminatione* cuius explicatio non minus difficilis et coacta. *Ruminationem* pro iteratione etiam usurpari a Plinio XVII. c. XXXV. »*ruminatio hiemis*« iam interpts. l. l. docuerunt. Translatæ notiones vocabuli *scarificatio* facillime ex significatione primitiva eius explicantur; at plane abhorret ab usu communi *semen* pro fructu positum; cf. Harduin. ad XX. c. II. (I.); — et quod nemo, quantum sciamus, animadvertit VI. c. XV. *situs*. »Hi Caspiae appellavere portas Iberiae, quas Caucasias diximus vocari, *situsque depicti* et inde missi hoc nomen inscriptum habent.« Quo l. *situs depicti* aperte significat *tabulas geographicas, itineraria picta.**) Inter rarissima est etiam *statera* i. q. rei pretium XII. c. LVII. »Sequens pallido (succo panacis) *statera*.« *Torpor* i. q. senecta, tuni- cula stellionis XXX. c. XXVII. »eo facilius exuens circumdatum torporem.« — *Tragula* i. q. rete piscatorium, subere instructum, verriculum XVI. c. XIII. *Ungues* pro lucentibus ac levibus maculis plantarum aliarumque rerum, unguium instar XII. c. XIX. — Prae ceteris autem notanda potestas vocabuli *vitium*. Sic enim dicit Plinius quodeunque in fructibus mandi non potest sed est reiciendum; cf. XV. c. XXXIV. »Aliis foris corpus, intus lignum — *vitiumque* cinctum fructu, quum fructus alibi muniatur *vitio*« unde adparet, *vitium* idem fere esse atque *lignum*. Alio sensu accipiendum XV. c. XXII. »Seponuntur autem ad id fere *vitia* resinae cortexque« i. q. vetustior atque minus laudata resina. H. l. igitur *vitium* per metonymiam explicandum videtur, de qua figura infra pauca dicamus. — Quid sit *vomica* quando de lapidibus dicatur, docuerunt intrpts. lib. XXXIII. c. XXXII. et XXXVII. c. X. i. e. tumor liquore semper fluido manans. — Omisimus quae vocabula sua quidem significatione sed insolentiore et audaciore metaphora usurpavit Plinius, ut XXXVI. c. XLVIII. »*tofus aedificiis inutilis est mortalitate mollitiae*« i. e. minus durabilis ob mollitiam; vel XXXV. c. XLVI. »Propter hanc patinam Mucianus altero consulatu suo in conquisitione exprobravit *patinarum paludes* Vitellii memoriae« qui tropus sane mirum quantum quaesitus; vel XXXV. c. XXXVI. 20. de Protogene pictore, quem dicit primis suis operibus naves parerga adiecisse, ut appareret a quibus initiis ad *arcem ostentationis* opera sua pervenissent. i. e. a quibus initiis ad maiorum navium exactam absolutionem venisset. — Nec tangimus rem satis spinosam et intricatam de designanda notione vocabulorum *colores* significantium, veluti quae sit *lenitas mellis* i. e. color acri splendore oculos non percellens XXXVII. c. XII. a quo vix dif-

*) H. l. facere non possumus, quin proferamus verba scriptoris e lib. VI. c. XXIX. »Necessarium est in hoc loco signare et Medorum situm *terrarumque faciem circumagere* ad Persicum mare.« Sensus verborum satis in aperto, quamquam illa: *terrarum faciem circumagere* insolentius dixisse videtur pro: »habitum situmque terrarum Persicum mare versus describere.«

ferre videtur *tranquillitas* coloris ibd. c. LVI. »Cinaediae . . . praesagire eas habitum maris nubilo colore aut *tranquillitate* i. e. temperato quodam et leni splendore.«*) Obiter monemus memorabilem pleonas- mum *die natalis sui* XXXVI. c. VI.

§. 8. Tandem sequatur recensensus eorum, quae singillatim leguntur neque plura sui similia habent. Praemonendum videtur nos de industria omisisse graeca omnia et barbara, nec peregrina herbarum, florum, animantium, quae in Elencho vel libro I. prostant, nunc curasse, quorum plura falso scripta invenimus, veluti ex lib. XXVI. de *merthyra* ubi leg. de *merthyge*; alia in lexicis desiderantur ut XXXIII. *litha- sis* sive larbasum i. q. stibium, vel *ambula* de intubo erratico XX. c. XXIX. Revocavimus tantummodo in censum latina et magis appellativa. In numero horum Plinius solus usus esse videtur his: *arenulae* XXX. c. VIII. »Arenulae, quaeveniuntur in cornibus cochlearum«; — *brochitas* i. q. dentium promi- nentia XI. c. LXIV; — *bruscum* et *moluscum*, tubera aceris arboris, de quibus v. XVI. c. XXVII: *caulias* i. e. succus ex caule laserpicii XIX. c. XV; — *coroneola* genus rosae autumnalis XXI. c. X; *Excipula* vel *Eccipulum*. [legitur tantummodo in ablativo plur.] vas ad excipiendum aptum, etiam fossa depressior in ripa ad excipiendos pisces IX. c. XXXVIII.; vocabulum formatum ex similitudine v. *decipula* vel *decipulum*. — *Equiferus* i. q. equus ferus, bis legitur. — *Fulgetra*, ae. pro *fulgetrum* XVIII. c. LXXXI. »Quum sereno coelo *fulgetrae* erunt et tonitrua, abhiemabit;« — cf. XXVIII. c. V. et Döderlein. Synonym. II. p. 79. — *Funetum* XVII. c. XXXV. 10. qui est arcus ex palmitum ceu funium nexu, quum ficus in arcum flectuntur. — *Intinctus*, us, gr. ἔμβαμμα iusculum, quo cibi intinguntur; legitur pluribus locis. — *Impilia* calceamenti genus e lana coacta generis bulbi a graeco πηλῆρά XIX. c. X. — *Juniculus* palmes vetus in longitudinem ad quartum usque pedamentum porrectus, quem alio nomine dracona vocant, ad masculeta conficienda aptus; inde dici videtur, quia ex eo vitis renovatur et quasi iuvenescit. XII. c. XXXV. 14. Ceterum etiam *masculatum* i. e. locus, ubi plantae vinearum masculae consitae sunt, hoc loco tantum legitur, ut etiam singularia sunt *populetum* XIV. c. VIII. 1. et *porculetum* de agro in porcas diviso XVII. c. XXXV. 9. Marga (german. Märgel) XVII. c. IV. — *Planaratum* (non planaratum, ut est apud Forcellinum), vomeris genus, de quo v. XVIII. c. XLVIII. — *Martulus* i. e. parvus malleus VII. c. LVII. rarior forma pro *marculo*, vocabulo etiam ab aliis scriptoribus usurpato. — *Obstragulum* corrigiae calceorum, quae decussatae supra pedem atque inter digitos ductae soleam continebant. IX. c. XLVI. — *Rapacia*, orum i. q. cauliculi teneri raparum, qui decocti in cibis sumuntur. XVIII. c. XXXIV. — *Rallum* i. q. ferramentum purgans vomerem a terra adhaerente XVIII. c. XLIX. 2. — *Tegulum* XVI. c. LXIV. »Tegulo earum (i. e. aquaticarum arun- dinum) domus suas Septentrionales populi operiunt« i. e. iis utuntur pro tegumentis aedium. — *Viriculum*

*) Paucissima tantum de hac quaestione proferre liceat. Inter adiectiva sic tropice usurpantur *pinguis* pluribus locis i. q. saturus color et obtusus; inde *pinguescere* i. e. nitorem piuguem trahere XXXVII. c. LXV; — *languidus*, *fumidus* ibd. c. XXVIII. i. q. fumeum colorem referens. Colorum micantium varietas significatur praepositionibus *in* vel *ex*; cf. XXXVII. c. XVII. »dos eorum nec in colore liquido, nec diluto, verum *ex humido pingui*, quaque perspiciantur, imitante translucidum mare« quorum interpretatio sane lubrica; aut ibd. LXXXIII. *in candore laevis*, *in viridi capillatur*, *in nigro ramosa* et alia id genus.

(alii malunt *vericulum* a *veru*) i. e. cestrum, genus scalpelli ad insculpendum XXXV. c. XLI. — *Volgiolus* i. e. pavicula vel cylinder ad solum aequandum aptus. XVII. c. XIV. *)

CAP. II.

De adiectivorum ratione.

Jam h. l. primum monendum desinentia in *aceus* et *osus* nomina apud Plinium numero pleraque inveniri. Quae in *aceus* exeunt maximam partem a nominibus primae declinationis formata, ut: amygdalaceus, — argillaceus, — arenaceus, — arundinaceus, — avenaceus, — bulbaceus, — capillaceus, — cineraceus, — cretaceus, — ederaceus, — ferulaceus, — foliaceus, — fabaceus, — furnaceus, — formaceus, — herbaceus, — hordeaceus, — intubaceus, — lappaceus, — membranaceus, — malvaceus, — oleraceus, — papyraceus, — pavonaceus, — porraceus, — resinaceus, — silaceus, — surculaceus, — tofaceus, — testaceus, — violaceus, — horum omnium, quorum maior pars apud solum Plinium legitur, significatio est tripartita; aut enim similitudinem quandam significant, quae est eorum primaria notio, ut *ampullacea* pira cf. XV. c. XVI., aut materiam, ex qua quid factum est; cf. lib. XXXIV. c. L. rudibus *ferreis* aut *ferulaceis*; X. c. LXXXI. (LXI.) vespertilio . . . cui *membranaceae pinnae*; aut locum ex quo, *ubi* quid factum est, ut *furnaceus panis* XVIII. c. XX. (IX.). Inde fit ut huius formationis adiectiva nonnunquam cum aliis confinis significationis misceantur. Sic radix dicitur et *bulbacea* et *bulbosa* nullo discrimine. cf. XXI. c. XCVII. et c. XC.; — *oleosum semen* XXVII. c. LXXXI.; *oleosum* natura butyrum XXVIII. c. XXXV., sed liquor *oleaceus* XXXV. c. LI. Atque sic haud dubio casu tantum factum est, si apud Plinium non invenimus formam *pumiceus* sed semper *pumicosus*, vel si tantummodo *araneosus* Latinis erat receptum, non *araneaceus*; nam vomitus *araneosus* XXIX. c. XXVII. II. poterat etiam dici altera forma, ut *arundineus* et *arundinaceus*.

Idem etiam de coloribus dici potest; *cinaraceus* et *cinereus* non differunt, ut plura id genus. — In aliis fortasse leges euphoniae nobis ignotae statuebant, utra formatio esset praeferenda. Sic *spumeus*, *spumosus* sola in usu fuerunt, non *spumaceus*; *testaceus* XXXVII. c. XXXI. »gemma testacea« i. q. testae colorem referens, hac tantum forma; *iunceus* autem et alia id genus praeferebant, quia altera formatio a nominibus secundae declinat. non ita crebro deflectebatur. — Tandem est etiam ubi hoc adiectivorum genus genitivi loco ponatur, ut XXV. c. XCIX. »nascitur capnos in segetibus hordeacis (scrib. hordeaccis)« i. q. hordei.

§. 2. Sequatur altera classis nominum horum, quorum magna apud Plinium copia, dico nomina in *osus* exeuntia. Primariam eorum notionem copiae esse et abundantiae, nemo est qui ignoret. Huc pertinent magnam partem Plinii solius propria vel paucorum, qui in eodem argumento explicando versati sunt: Angulosus; — argentosus; (inde aurum *argentosum* i. e. argento mixtum XXXIII. c. XXIX. ut infra c. LVI. *marmorosum*; *aerosum* i. q. aeri admixtum; lapis *aerosus* i. q. cadmia XXXIV. c. II.); — *bulbosus*; — *centrosus* i. e. plenus centri vel duritiei XXXVII. c. XXVI. — *cumminosus* XXVI. c.

*) Plane ignotum aliunde est v. *crenae*, usurpatum de incisuris vel sculpturis stomachi testudinis marinae, quibus cibus conficitur. XI. c. LXVIII. »Postea stomachus denticulatus callo, ad conficiendos cibos, decrescentibus *crenis*.« Harduin. mavult. *serris*.

XXXVIII. haud dubie corruptum nec immerito a Lexicographis non receptum; — *cerosum* mel XXXII. c. XIII. (III.) aliter dictum quam mel *thymosum* XI. c. XV. quamquam est aliquid cognationis; — *comosus*; — *crustosus*; — *foliosus*; — *formicosus*; — *fructectosus* vel *fruticosus*; — *glebosus*; — *gummosus*; — *lacinosus*; — *lanuginosus*; — *loculosus*; — *mammosus*; — *pectorosus*, dictum ut: *ventuosus* vel *ventrosus*; — *plumbosus*; — *pampinosus*; — *ramosus*; — *ramulosus*; — *rugosus*; — *sabulosus*; *) — *saniosus*; — *sinuosus*; — *spinosus*; — *unguinus*; — *venosus*; — *verminosus*.

Quae copia rei adiectivo significatae in homine cum modum excedat, in morbum degenerat; inde fiunt: *iliosus*, *alsiosus*, *calculosus*, *lienosus*, *lusciosus*, *ramicosus*, *suspiriosus*, *vertiginosus*.

Alia apud Plinium *similitudinem* significant, non *copiam*. Huc referenda: *araneosus*; *globosus*; *fungosus*; *furfurosus* de colore styracis XII. c. LV.; *radicosus*. cf. XVI. c. LXII. (XXXIV.) »radicosa brachia ederae« i. e. radicum in modum efformatae claviculae et sarmenta; — *surculosus*; *spongiosus*; *vinosus*, ut *sapor vinosus*, *mordacitas vinosa*.

Pleraque autem utramque significationem complectuntur, veluti: *acinosus*, *fistulosus*, *carnosus* (quod ad colorem saepe refertur, ut XXXVII. c. XXIV. *onychus carnosae*); *fluctuosus* (*smaragdus* XXXVII. c. XVIII. qui maculas habet quasdam ad similitudinem fluctuum); *glutinosus* (XXXV. c. LV. cum dativo construitur: *linguae glutinosa samia*); *lidosus* XXXIV. c. XXX. »sory *lidosus*« — *litorosus*, cuius insolentior est positio XXXVII. c. LVI. »*Callais litoroso mari similis*« i. e. eum aquae marinae colorem referens, qui est circa litus; — huc tandem pertinent: *racemosus* et *salivosus*.

At sunt etiam pauca, quae activam recipiant significationem rei efficientis; veluti *gravedinosus* XVIII. c. XXXVIII. »*ervum autumno gravedinosum*« i. e. quod boves autumno *cerebrosos* reddit; — *nauseosus* XXVI. c. XXXVIII. de *scammonio*: est radice crassa, madida, *nauseosa*; — *siticulosus* XXIII. c. LV. »*melimela siticulosa, aestuosa*« i. e. sitim et aestum efficientia; — atque sic etiam explicari potest XXI. c. C. »*urina tortuosior* vel *cruenta*« i. e. difficilis, turbida ideoque hominem *torquens*.

Tandem sunt etiam, quae explicationem exquisitiorem postulare videantur. Sic XVI. c. XXXVIII. ulmo dicuntur esse *folia ramulosa*, ubi vocabulum id i. q. *venosa* significare videtur. — *Squamosus*, quae forma, ut hoc obiter dicam, non differt a *squameus*, insolentius positum est XXXIV. c. LVI. de arsenici genere: »*utraque squamosa*« i. e. squamatim in crustas fissilis, ubi v. Harduin. — *Plumosa* folia XXV. c. XXIX. ausus est dicere pro *lanuginosa*, quamquam *pluma* hac significatione (pro lanugine) non legitur. Durior etiam videtur dictio XV. c. XXV. (XXIII.) »*Castaneae faciles nec operosae cibo*« i. e. non difficiles ad concoquendum.

Ceterum quantopere Plinius adiectiva haec in deliciis habuerit, vel inde adparet quod vulgaribus et passim obviis, quae h. l. dedita opera transimus, nonnunquam abnormen dedit significationem. Exempli causa unum proferamus *numerosus*. Jam in lexicis notata invenimus: *pictura numerosa* i. q. tabula, in qua multi depicti sunt; *pictor numerosior* i. e. qui plures tabulas pinxerit; sed sunt etiam alia in lexicis non commemorata, ut XXXVII. c. LXXI. (XI.) »*hepatitis nomen habet a iocinere*; *steatitis singulorum animalium adipe numerosa*« i. e. varii coloris vel ad aspectus pro diversitate sevi singulorum animalium.

*) Sic solum est *sabulosum*, *arenosum*, *calculosum*, *cretosum*, *pumicosum*. cf. XXXV. c. XLIX.

Adverbia huius generis, quae careant adiectivo suo, non novimus praeter unum *assulose* XII. c. XLVIII. (XXII.) »calamus *assulose* frangitur« i. e. in multas assulas. *Assulatim* fuerit forma Plinii magis propria, quod infra in cap. *de adverbis* demonstrabimus.

§. 3. Jam tertia classis adiectivorum, quae ad significandos opifices et rerum naturam pernecessaria erat, in *orius* — *arius* — *aris* exit. Etiam de his pauca docebimus. Substantiva huius generis in opificio quodam occupatos denotare tralaticium est, veluti *trigarius* XXVIII. c. LXXII.; — *vulnerarius* (medicus) XXIX. c. VI.; *herbarius*; *putearius* XXXI. c. XXVIII.; — *crustarius*; *aerarius*; *unguentarius*; *tutelarius* (s. c. redemptor) XXXIV. c. XVII.; — *coronarius*; *medicamentarius* — alia, quae omnia nulla explicatione egent.

Nomina huius classis adiectiva simili modo vim quandam ad efficiendum quid aptam indicant; inde avis *clamatoria* quae mali augurii clamorem edit, et *prohibitoria* X. c. XVII.; — medicamenta sunt: *absolutoria* XXVIII. c. XVII.; — *mitigatoria*; *suppuratoria* ibd. c. XIII., atque vires eorum *excalfactoriae*, *concalfactoriae* et *refrigeratoriae* c. XXI.; — *vomitoriae*, *extractoriae* et *adstrictoriae* cf. XXIV. c. L. et LXX.; tandem *discussoriae* XXX. c. XXII. — Eadem est potestas eorum, quando de aliis rebus dicuntur; veluti calamorum *aucupatoria* amplitudo XVI. c. LXVI.; — bulbus *vomitorius* XX. c. XLI.; — frutex *coriarius* XXIV. c. LIV. i. e. coriis perficiendis aptus; — *condimentaria* genera caepae XIX. c. XXXII.; — sic etiam cribra sunt *excussoria* et *pollinaria* XVIII. c. XXVIII., vel *farinaria* ibd. c. XXIX. 3. — fiscina *frondaria* XVIII. c. XXIV.; — malleus *stupparius* XIX. c. III.

Passivam magis significationem habent, quae sequuntur: palmes *emissarius* XVII. c. XXXV. 25. qui emissus a gemma in putatione relinquitur, ut ascendat. — Lapis *operarius* XXXVI. c. XLVII. i. e. qui ad opus aliquod accommodari potest; vinum *operarium* XIV. c. XII. quod operis dari solet; — aurum *caldarium* XXXIV. c. XX. quod tantum funditur, et *coronarium* i. e. mimorum coronis adhiberi solitum. Atque huc etiam pertinet: *statuaria* temperatura aeris XXXIV. c. XX. i. e. ad statuas faciendas apta, et *ollaria*.

In vulgus notum est, eiusdem esse significationis adiectiva in *aris* terminata. Inde *caligaris* clavus IX. c. XXXIII. et *caligarius* XXXIV. c. XLI.; — *pulmentaris* cibus XVIII. c. XXX. (XII.); *regulare* aurum, quod malleis tunditur; — quae temperatura aeris *statuaria* dicitur, eadem etiam *tabularis* (non *tabularia*, ut est apud Forcellin.) nuncupatur l. l.; — *formalis* igitur (ad formas faciendas apta) etiam *formaria* dici poterat, ut hoc inauditum fuisse videtur. In aliis nominibus utraque est forma, ut *ollarius* et *ollaris*; certis autem substantivis alterutrius modo terminationis adiectiva tribuuntur; sic cos, quae aqua inspergitur, dicitur *aquaria*, quae oleo, *olearis*; cf. XXXVI. c. XXXVIII. et XXXIV. c. XLI.; creta est *anularia* XXXV. c. XXVII., sed pigmentum *anulare* ibd. c. XXX.

Jam usitatissimum erat vasa *potoria*; *escaria* XXXVI. c. LXVII., pro hoc vulgato XXXV. c. XLVI. praeter rationem legimus: »Maior enim pars hominum terrenis utitur vasis. Samia etiam nunc in *esculentis* laudantur.« i. e. in iis, quae ad esculenta asservanda adhibentur. Sic *passivam* habet notionem *albarium* opus vel *albaria tectoriorum* XXXV. c. LVI. et XXXVI. c. LV. i. e. materia parietibus dealbandis inserviens; — *acetaria*, orum (s. c. olera) XX. c. LXXXI. (XX.) »Portilaca stomachum

in *acetariis* sumta corroborata i. e. *ex aceto*. — Tandem solius Plinii proprium *igniarium* XVI. c. LXXVI. 3. materies arida apta ad ignem accendendum et fovendum, fomes.

Verum non desunt etiam, quae locum significant vel sedem; sic culex *ficarius* XI. c. XLI. cicada *surcularia* XI. c. XXXII.; — hirudo *riparia* i. e. in riparum cavis nidificans XXX. c. XII., perinde dictum atque testudo *lutaria* XXXII. c. XIV. (IV.); — vena *crudaria* argenti i. e. quae in summo reperitur XXXIII. c. XXXI.; quocum conferre potus substant. nom. *sellaria*, locus ubi sellae disponuntur XXXIV. c. XIX. 24. et cubacula *salutatoria* XV. c. X. — *Nitraria*, *aeraria*, *lateraria* et similia quippe quae nimis nota sint, mittimus. — *Ulmarium* XVII. c. XV. solius est Plinii. Similitudinem vero quandam significat *argentarius*; plumbum *argentarium* (album aes) XXXIV. c. XX. (IX.) et creta *argentaria* XXXV. c. XXVII. quod non differt ab *argento*; — *salivarius* lentor i. q. instar salivae IX. c. LXXIX. — Tandem notamus, *numeralia* quingenarius, centenarius apud Plinium *librarum* numerum significare, quot pondo. cf. Harduin. ad XXXIII. c. LII. *)

§. 4. Natura et ratio rerum, quas tractabat, effecit, ut etiam plura in *ilis—bilis* exeuntia audacius fingeret; quae ei soli familiaria erant, proferre haud gravabimur.

Sic de coronis usurpavit *pactilis* XXI. c. VIII. (III.) et *sutilis*; — conchae *clusiles*, quae facile clauduntur IX. c. LXI.; — aurum *ductile* XXXIV. c. XX.; vasa *incoctilia* (Germanor. verzimtt) XXXIV. c. XLVIII.; — corona auro *interrasili* XII. c. XLII.; — *scansilis* (de cuius significatione inspicienda sunt lexica); — *sessilis* de plantis dictum, quae non assurgunt; — *transilis* XVII. c. XXXV. de palmitate ita producta, ut vicinam arborem attingat. Quorum loco sunt etiam quae in *iciis* exeunt, ut *fossilis—fossicius*; arena *fossicia* XXXVI. c. LIV. Huc pertinent *facticius*, *artopticius* panis XVIII. c. XX. 1. et quae semel tantummodo leguntur: vulva *ieicticia* XI. c. LXXXIV. quae *ieicto partu* melior est, quam edito; illa *ieicticia*, haec *porcaria* dicitur. — *Excepticius*, sic dicitur alica, quae in cribro remansit XVIII. c. XXIX. 3.; tandem *stillaticius*, de resina, quae si cum aqua levius decoquatur coleturque, rufo colore lentescit. Rariora, quae in *bilis* desinunt, sunt: *computabilis* XV. c. XLI. 2.; — *coquibilis* XVI. c. VIII. (altera lectio est *coctibilis*); — *exscreabilis* XX. c. XV.; — *ingustabilis* II. c. CX. — *irremediabilis* XXV. c. XCV.; — *ingestabile* onus ἀφόρητον VII. c. V. (VI.); — *ineffabilis* de nominibus et verbis, quae effari non possis Praefat. lib. V.; — *inextirpabilis* de radicibus XV. c. XXII.; — *friabilis* pluribus locis. — *purgabilis* (castanea) XV. c. XXV. et *serrabilis* XVI. c. LXXXIII. de significatione quorum alio die fortasse copiosius exponamus.

§. 5. Nomina in *alis* inserviunt ei maxime ad significandam longitudinem vel crassitudinem; inde *bracchialis*, *cubitalis*, *digitalis*, *pedalis*, *pollicaris*, *quincuncialis* (i. q. quincuncem pedis unius longus) *quadrantal*, *sescuncialis*, — quae passim leguntur. Praeter haec insolentius formavit: *antegenitalis*

*) Sunt pauca, quorum ratio atque relatio ad adiectivum explicatione egeat. Huc referimus *hordearia* pruna XV. c. XII. sic adpellata a comitatu frugis eius, vel ibd. c. XVI. pira, quod scilicet cum hordeo maturescunt. Ex eadem analogia dicuntur cicadae *arenariae* vel *frumentariae* XI. c. XXXII., quae simul cum frumentis maturescentibus adparent. Alio sensu dicuntur X. c. III. aquilae *anatariae*, quae anates venantur. — Jam audacior est metaphora in dictione mens *tinctoriu* VII. c. V. pro *cruenta*, crudelitatem anhelante, quae lectio coniecturis aliis praeferenda; nos cum ea conferimus, ut simile, responsum *sanguinarium* Tarquinii Superbi XIX. c. LIII.

VII. c. LVI. i. q. ante nos genitos factus; — »specimen securitatis antegenitali sumere experimento« i. e. ad securitatem animi existimare id nos fore post obitum, quod fuerimus ante ortum. — *Stationalis* de sidere, quod quale intelligatur, explicat ipse II. c. XII. (XV.); — *discordialis* i. q. discordiosus XXXVII. c. LXXIV. (X.) In deliciis habuisse videtur adiect. *sideralis*; inde *sideralis* scientia VI. c. XXX.; *sideralis* difficultas VIII. c. LVI., quae est circa siderum cognitionem. — *Baccalis* laurus femina, quae baccas fert XVII. c. XI., quam eandem XV. c. XXXIX. *baccaliam* dicit. — Tandem de *secali* frumenti genere v. XVIII. c. XL. — In *aris* exeuntia praeter *pollicaris*, quod supra commemoravimus, notanda *scripularis* (differentia scripulum continens) XXXIII. c. XLVII. (VIII.) et *villaris* gallina X. c. LVII.

§. 6. Quae in *ūs* exeunt, materiam vel similitudinem significantia, disputandi materiam non praebent, quippe cum in hoc genere proprie Pliniana paucissima reperiantur. *Conterraneus meus* in Praefat., castrense verbum, haud dubie retinendum, licet alii *congerraneum* vel *conceraneum* i. q. congerronem legendum esse censeant. Pariter inter castrensia referendum, quod prostat VII. c. XLIV., ubi P. Ventidius dicitur fuisse mulio castrensis *suffaraneus*, i. e. mulio, qui far in castra convehebat, quamquam vocabulum hoc suspectum est nec scriptio satis certa. At usitatissima Plinio *cartilagineus*, quod ipse IX. c. XXV. se fecisse significat; *ferrugineus* non solum de colore, sed etiam de sapore; — *sesquipedaneus* pro sesquipedali. Plinii proprium etiam *subtegulaneum* pavementum XXXVI. c. LXI. Rariora sunt: *staminea* vena in lignis i. e. in longum ducta, quam feruleam vocant XVI. c. LXXXIII. (XLIII.); — *collectaneum* aes i. e. ex usu coemptum XXXIV. c. XX.; at *praesentaneus*, adiect. apud Plinium saepe legitur. *)

§. 7. At copiosum possumus pertexere recensum nominum, quae a substantivis ducta et statum significantia participii Imae coniugationis formam recipiunt, etiamsi verbum eiusmodi deest. Afferamus hic quae Plinius prae ceteris usurpavit: Misso voc. *Apiatus* de mensa dictum XIII. c. XXX., quia hoc haud dubie in usu communi fuit, magis confictum esse videtur *caveatus* in formam caveae theatralis dispositus IV. c. XV. (VIII.) »montes theatrali modo inflexi, caveatis ante eos septuaginta quinque urbibus« quam lectionem recte tuentur, reiecta altera *cuneatis*. Alio sensu dicitur *caveatus* angustiis IX. c. V. (VI.) i. q. angustiis, quasi caveis, inclusus. — *Fluviatus* XVI. c. XXIII. (XII.) in partes quasi in fluvios divisus, ubi alii *diffuviata* vel *quadriuvuata* legere malebant. *Calvatus* XVII. c. XXXV. 20., sic dicitur vinea in qua raras sunt vites, quemadmodum capilli in capite calvi hominis. Cum in quibusdam editionibus Catonis, ex quo sua hausit Plinius, sit pro *calvata*—*calva erit*, erant qui Plinium ex Catone corrigendum esse existimarent; sed copia similium nominum, quae Plinius formavit, a corrigendo absterret. — *Crebratus*, quod etiam in numerum hunc referimus, cum verbum crebrandi dubiae sit auctoritatis, XI. c. XXVIII. (XXIV.) »*crebratae* telae *pexitas* i. q. dense textae, ubi alii satis probabiliter *cribratae* legunt. (Ceterum *pexitas* est etiam ἀπαξ λεγόμενον). *Cullellatus* in cultri modum factus de dorso et spina XIII. c. XXXVIII.; at *cultratus* de mucrone XIII. c. XII. — *Discuneatus* de conchis patentibus IX. c. XLVIII.

Echinatus ter apud Plinium legitur; XXII. c. XI. »*folia echinata glycyrrhizae*« male Plinium

*) Unum *siccanus* XVI. c. XIX. brevior protulit terminatione.

verba Dioscoridis interpretatum esse, docuerunt interpts. cum folia haec non ἐχίνου sed σχίνου similitudinem quandam referre dixerit auctor Graecus. — *Foliatus* passim obvium; *laserpitiatus* (laserpitio mixtus) XX. c. XVII. est etiam apud Catonem. — *Muricatus* XX. c. XCIX. de carduis: *muricatis* cacuminibus i. e. in muricis speciem formatis. — *Ovatus*, quod cum apud Plinium legatur pro: in ovi similitudinem facto, plane non cohaeret cum ovandi verbo. XXXV. c. I. commemorat marmor *ovatum* i. e. maculis in ovi speciem variegatum. — *Racematus*, etiam a significatione verbi discrepans, i. q. racemi modo dispositus vel racemis instructus XVIII. c. X. 3. — *Rigoratus* pro *fulvo* XVII. c. XXXV. 26. de ramis dictum, quod Cato his verbis expressit: connexi, ut *rigorem* habeant. — Transimus voc. *reticulatus*, quippe quod etiam apud alios scriptores legatur, atque *pulvinatus* XIII. c. VII. ad modum pulvini convexus et mollis; vel substant. nom. *arenatum* i. q. calx arena mixta; *marmoratum* i. q. opus marmoratum XXXVI. c. LV., et *spicata testacea* i. e. pavimenta, testis spicae in modum dispositis ornata XXXVI. c. LXVII. — quippe quae vocabula etiam Vitruvius aliique usurpaverint; at Plinius solus, quod sciamus, dixit *bifidatus* et *umbilicatus* ad similitudinem umbilici factus; — *thoracatus* de statu thorace indutis XXXV. c. XXXVI. 5; — *vertebratus* in modum vertebrae factus, etiam mobilis, ut XXXIV. c. XIX. 4. dente *vertebrato* i. e. flexili, vertebrae ossibus simili; — *sculpturatus* XXXVI. c. LXI. de pavimento variis sculpturis ornato; — *turbinatus* (pluribus locis legitur) in turbinis formam exiens, plane ut *mucronatus*; *teporatus* γλιανθείς XXXVI. c. LXVII. quamquam teporandi verbum non plane inusitatum fuisse scimus; — *Exalburnatus* XVI. c. LXXXVI. 3. de robore, quod alborno spoliatum est, ut de solo lapidibus purgato *elapidatus* nemo fortasse praeter Plinium usurpavit XVII. c. III., nec usquam reperias praeter IX. c. LVI. *exaluminatus* de concha ad colorem aluminis accedente. — *Inexplanatus* de lingua impedita XI. c. LXV. Tubi balnearum *mammati* XXXV. c. XLVI. quinam fuerint, explicant interpts., i. e. tubi in mammae speciem rotundati, per quos et hypocausto in balneas calor transmeat. — *Frontatus* de lapidibus vel laterculis dictum omisimus, quia est etiam apud Vitruvium.*)

Proferamus nunc ex ordine praestituto, quae etiamsi passim apud alios scriptores legantur, apud Plinium tamen insolentiore significatione prostant. Huc pertinent: *Auratus de colore*, auri colorem referens. XXXVII. c. LXVI. »Gemma nunc sanguineis, nunc *auratis* guttis« — ubi poterat etiam esse *aureis*.

Fimbriatus significatione peculiari de stolonibus XVII. c. XIII. »quo in genere et cum perna sua avelluntur partemque aliquam e matris quoque corpore auferunt secum *fimbriato* corpore« — ubi sane exspectaveris *fibrato*, cum quibusdam radicum fibris, gr. ὑπὸ ῥίζα. — Radix enim *fibrata* dicitur etiam l. l. c. XCV.; certe haec est vetus lectio.

Ingravatus de auribus, quae audiendi gravitate laborant XXVIII. c. XLVIII.

Incitatus plane inaudito significato XXXI. c. XLVI. 3. »Spumam nitri antiqui negabant fieri, nisi quum ros cecidisset, praegnantibus nitrariis, sed nondum parientibus. Itaque non fieri *incitatis*, etiamsi caderet.« *Incitatus* h. l. idem videtur esse atque *inciens*, partui vicinus, ad quam explicationem ducit nos quodammodo Festus, qui s. v. *Gravida* haec habet: *inciens* — quod *incitatus* sit fetus eius.

*) Quaequam fuerint vestes *undulatae*, *soriculatae* (vel sororiculatae), *papaveratae* explicant interpts. lib. VIII. c. LXXXIV.

Oculatus i. q. ceber, qui oculis omnium pateat. XXXIV. c. XI. Senatus statuum poni iussit quam *oculatissimo* loco in Rostris.

Tandem *saginat* de plantis, altibus; cf. XIX. c. IX. 2. »caule in tantum saginato, ut pauperis mensa non capiat.

§. 8. Reliqua quae de adiectivorum generibus dicenda sunt, paucis complectamur.

Quae in *inus* exeunt non modo significant quod ad substantivum unde ducuntur pertinet, sed etiam similitudinem; inde cicer *arietinum* i. e. arietino capiti simile XVIII. c. XXXII. color *nitelinus*, de quo v. XVI. c. LXIX. Inter Pliniana referimus *alvinus* ὑγροζοίλιος, κοιλιαχός, δουσεντερικός. XXV. c. XXXVII. »Radix nymphaeae in sole siccatur *adversaturque* alvinis« i. e. *prodest* hoc morbo laborantibus.

Quae terminantur correpta syllaba *inus*, non modo materiam significant et tempus, sed etiam de colore dicuntur perinde atquo in *eus* cadentia, ut *cerinus*, *faginus* (apud Plinium saepius *fageus*), *oleaginus*, *orobinus* XXXVII. c. XX. Illud *oleaginus* de colore usurpatum fortasse offenderit; qua de causa Plinius ipse explicationem adiunxit: »hoc est, colore olei.« — Olei genera aut his adiectivorum formis designantur, ut *pissinum* alia; aut adiectivis in *aceus*, ut *rosaceum*, de quo supra commemoravimus.

Duo in *ivus* finxit Plinius a nemine, ut videntur, usurpata; *exortivus*, ad ortum spectans, orientalis, quod saepe legitur et *cadvus* de fructibus, sua sponte decidentibus XV. c. XVIII.; de *abortivo* enim supra diximus. — Unum in *idus* *dilabidus* VIII. c. LXXXI. (LVI.) »Nec non et vestes leporino pilo facere tentatum est . . . propter brevitatem pili *dilabidas*.« Altera lectio *dilabidam* (s. c. brevitatem) vix cuiquam probetur.

Praeter haec sunt etiam pauca apud Plinium obvia, novata aut compositione aut terminationis immutatione. Sic rarissima sunt: *obater* i. q. subater, ὑπόμελας XVIII. c. LXXXIX.; — ut *obniger* XX. c. XCIV.; *exalbidus* i. q. albidus (pluribus locis); — *praedivinus* XXXVII. c. LX. »somnia *praedivina*« i. q. multum divinantia, divina; — *deplumis* de hirundinibus, in lexico Forcellini omissum, X. c. XXXIV. (XXIV.), hoc uno loco invenitur. — Cum *pes* composita: *longipes* XI. c. CVII.; — *palmipes* duplici significatione, aut i. q. στεγανόπους, aut i. q. palmipedalis, ut XVII. c. XXXII. (XX.) »intervallo palmipede«; quae mensura apud Columell. III. 19. *palmipedalis* dicitur. Quocum conferimus *solidipes*, oppositum *bisulco*, quod passim invenitur et *loripes* V. c. VIII. — Pliniana etiam sunt: *fetifer* et *felificus*; *annifer*, quod duplici sensu legitur aut de plantis per totum annum ferentibus fructum, ut XVI. c. XLIV., aut de iis quarum radices longiore temporis spatio durant, quamquam annuo tantum caule constant, quae apud Theophrastum ἐπετειόκωνλα dicuntur. Simplicissima est ratio compositionis vocabulorum *plantiger* XIII. c. XVI.; *latifolius* XV. c. VII.; et maxime cum numeralibus compositorum, ut *quinquefoliae*, *centifoliae* rosae; vel *unicornis*, *tricornis*, *unicaulis*, *unicalamus*, — *unistirpis* i. e. a radice unum caudicem habens assurgentem, de cupresso arbore XVI. c. LIV. — *Quadrigeminus* i. q. τετραπλοῦς VII. c. LVII. (LVI.) »Cerastis corpore eminere cornicula saepe *quadrigemina* i. q. quatuor. — *Multigenerus* XI. c. I. plane inauditum pro *multigenus*, quae est etiam lectio altera; *melligenus* de succo XVI. c. X.; *frugiperdus*, ut XVI. c. XLV. homericum ὠλεσίχαρπος interpretatus est. *Subrutilus* pluribus locis legitur, qua significatione mitigandi coloris etiam adiectiva in *usculus* posita fuisse scimus, ut *rabusculus* vel *ravusculus* de vite XIV. c. IV. 9. cuius color proxime ad ravum accedit. Sic certe

Harduinus legit pro *rabucula*. Ad rariora etiam et apud solum Plinium prostantia referimus *rabulana* pix XIV. c. XXIV. aut a colore sic dicta in ravum abeunte, aut a radula, qua pix haec detrahitur doliis, ut nova inducatur. Similitudinis significationem obtinet etiam *mamillana* ficus XV. c. XIX., sic dicta a similitudine mammarum, ut pira *mammosa*. ibd. c. XVI. — *Retrorsus* XXVI. c. LIX. »manus *retrorsa*« i. q. retrorsum versa, quamquam etiam apud Apuleium adiectivum hoc legitur. Tandem in numerum ἄπαξ λεγόμενον referendum *ruidus* XVIII. c. XXIII. »Maior pars Italiae *ruido* utitur pilo« i. e. aspero et impolito (ut Harduinus explicat), cui contrarium est *praeferatum* in pistura farris. Obiter h. l. notamus Delechampium in adnotatione his verbis Plinii subiecta plane ineptire, cum dicat, apud Plautum commemorari *panem ruidum*, crustosum, non satis coctum. Eiusmodi panem Latini non noverant; apud Plautum commemoratur panis *rubidus*.*)

§. 9. Quae hactenus de adiectivorum ratione disputavimus, spectabant aut certam quandam classem horum nominum, quibus ex analogia peculiaris est significatio, aut erant ea usu rariora et a Plinio, ut videntur, facta. Sed sunt etiam plura usu trita et communia omnibus, quibus tam obscuram tribuit et insolitam significationem, ut explicatione vel saltem commemoratione digna videantur. Pauca tantummodo proferamus, cum ad alia properet oratio. Sic quaeritur, quid significet *angustus* XVI. c. VIII. »Glans iligna facit suam *angustam*, nitidam, strigosam, ponderosam.« *Angustus* h. l. alii accipiunt pro *macilento*, alii pro: compacta et minime laxa carne; verum utut est, adiectiva haec vix secum in concordiam redigi possunt. Nam *ponderosa* repugnare videtur macilentae et strigosae. Nec minus caecutimus — sit venia verbo — XVIII. c. LXXX. »Caelum quum aequaliter totum erit splendidum . . . , autumnum serenum praesagibunt et frigidum. Si ver et aestas non sine riguo aliquo transierint, autumnum serenum et *densum*.« *Densus* h. l. non potest accipi pro nubilo, quum *serenus* huic adversetur; fortasse idem est atque *longus*, creber. Sed hoc sane est hariolari, non explicare. Lexicographi his de rebus tacent. Certiora sunt VIII. c. XXXVII. os *esculentum* crocodili i. e. cibi plenum; — vel XII. c. VII. »cupressus *fusa*« i. e. pumilio, in latitudinem magis fusa, quam in sublime elevata, quae Harduini explicatio magis ex sensu totius loci colligitur, quam ex nominis significatione. — X. c. L. »*publicum* omnium avium est tabulata ramorum sustinendo nido pavide eligere« ubi *publicum* est i. q. *commune* omnibus avibus. Et in Praefat. (p. 18.) »Scito enim conferentem auctores me deprehendisse a *iuratissimis* et proximis veteres transcriptos ad verbum« i. e. ab iis qui sua se scribere neque aliorum scriinia compilare religiosissime contendunt. — Nec transimus VII. c. LIV. homines *tempestivi* i. q. valetudine optima utentes; — *superbae* olivae i. e. crassiores et carnosiores ceteris XV. c. IV.; — et ob constructionem insolentiorum XII. c. XXI. (XVIII.) »Tamen felix appellatur Arabia, *falsa et ingrata cognominis*, quae hoc acceptum superis ferat, quum plus ex eo inferis debeat.« quae verba vix conferri possunt cum illo Virgiliano (Aen. X. v. 666.) *ingrata salutis*. Sensus est in liquido, quamquam contorta constructionis ratio; — Arabiam falso sibi hoc cognomen atque immerito vindicasse, quasi superiorum beneficio hoc acceptum referat, quum contra funerum et bustorum, in quae odores eius consumantur, apparatus effecerit, ut

*) Mira etiam numeralis est forma XXXVI. c. XIV. 2. »longitudine *undecenis* pedibus« pro *undecentis* pedibus. — Apud Plinium etiam solum invenimus concharum et purpurarum genera commemorata *lutense*, *algense*, *taeniense*, *calculense*, *dialutense*, de quibus cf. interpretes lib. IX. c. LXI. (XXXVII.)

opibus affluat et Felix sit appellanda. — Tandem addimus *prudens* adiect. apud Plinium pro participio esse i. q. providens, intelligens, ideoque cum accusativo c. infin. coniungi, quam constructionem nos plane exemplo carere putamus. VIII. c. LVII. (XXXVIII.) »Ille (leontophonos) urinam spargit, *prudens hanc* quoque leoni exitialem esse« et ibd. c. XLIX. »ob ea se peti *prudens*.«

CAP. III.

De verborum ratione.

§. 1. Jam h. l. statim in initio observamus Plinii dicendi genus hac de causa insigne esse, quod plura verba mirum in modum composita usurpaverit, plerumque quidem rerum ipsarum, quas enarrabat, natura et ratione coactus, saepe etiam nulla idonea causa. Primum igitur haec composita, servato praepositionum ordine, enumerabimus.

Huc pertinent: *adnutrire* semel dictum XVII. c. XXXV. 22. »Singulis arboribus denas saepe adnutriunt vites«; — *addivinare* XXXV. c. XXXVI. 14. »Quendam ex facie hominum *addivinantem*, quos metoscopos vocant« — quod sane differt a simplici *divinando*, ut dubitandi verbum ab addubitando, quippe cum metoscopi vatibus inferiores *addivinare* tantum possint. *Adalligandi* verbum Plinii proprium esse et passim legi de amuletis omnis generis, remediis, vel *φολακτηρίοις*, sciunt, qui Plinium vel obiter inspexerint. — *Aldensandi* verb. legimus significatione simplicis XX. c. LXXXIV. »Mirum aquam radice ea addita addensari sub dio.« — *Adreptandi* verb. etiam in usu fuisse, vel saltem dici potuisse colligimus e participio XXXV. c. XXXVI. 22. »Pinxit nobiles bacchas *adreptantibus* satyris; — quod sane nemo mirabitur, at multo insolentius (si lectio certa) est *abhiemandi* verbum XVIII. c. LXXXI. »Quum sereno coelo fulgetra erunt et tonitrua *abhiemabit*« i. q. hiemabit, cui simile ignoramus; *abaestuarum* enim apud Tertullian. Carmen de Jud. I. paene barbarum est. [*Adaperiendi* verb. est etiam apud Senecam].

Cum praepositione *cum* composita huc proferimus: *concorporare*, *) quod bis legitur XXII. c. LIII. »mulsum cum melle *concorporatur*« et magis improprie XXVII. c. XC. »Polyanthemum *vitilignes concorporat*« i. e. delet redditque cuti suum colorem, vel locum vitiligne affectum ad colorem reliqui corporis reducit. — *Conferruminare* XXVII. c. XLV. ex se explicatur; idem *compurgare* XX. c. L. »nasturtium visum *compurgat*« ubi in aliis edtbs. est *clarificat*. — Pro *comministrando* XXVIII. c. XXVII. Harduinus legit »commonstrant.« — Participium huc pertinet: *congenitus*. Quae cum *circum* composita inveniuntur, maximam partem tantummodo in participio leguntur, nec praesens tempus aliaque in usu fuisse videntur. Sic *circumgelatus* XIII. c. XL.; *circumglobatus*; — *circumraptus* XXIX. c. XXVI. i. q. circumraptatus; — *circumscalptus*, *circumscarificatus*, *circumforatus* XVII. c. XLIII., quae sane fingere necessitas rei coegbat. — Praesenti caret etiam *circummulcens* XXVIII. c. VI. »*circummulcentibus* linguis«, quae omnia nulla explicatione egent, quemadmodum nec alia simili ratione a Plinio formata, veluti *circumfossor*, *circumfossura*, quae hanc ob causam etiam magnam partem omisi. Unum bicompositum est *circumobruere* XIX. c. XXVI. 4.

*) Hoc sane non est Plinii solius proprium, tamen non omittendum.

De compositis cum praep. *de* saepissime legitur, aliis etiam usurpatum, *desquamare* non tantum propria significatione, sed etiam omnino pro abstergendo, deradendo, ut XXV. c. LIV. »Aristolochiae *desquamatae* terreno servantur«; vel XXXV. c. LVI. de vestibus. — At solus Plinius dixit *deglutinare* XXV. c. CIII. »andrachne palpebras *deglutinat*« i. q. dissolvit; *discoquere* quod est coquendo resolvere, plus igitur, quam *decoquere*, pluribus locis — atque *deoccare* XVIII. c. XXXVII. quod a simplici occando vix differt. *Delimandi* verbum non legitur, sed particip. *delimatus* XXXIV. c. XXVI., quemadmodum *deseccatus* XXVIII. c. XXIX. affectata dicendi ratione. Dicit enim l. l. chamaeleonem peculiari volumine a Democrito descriptum esse et per singula membra *deseccatum* i. e. Democritum quasi destinasse, quibus morbis remedio esset chamaeleon. — [*Disserenat* imperson. est etiam apud Livium].

Jam *emarginare* sine dubio a Plinio factum de ulceribus crusta vel margine liberandis XXVIII. c. XLI. »Sanguis equarum . . . emarginat ulcera.« — *elingere* XXV. c. XCVII.; — *exarenare* i. q. ab arena purgare XXXI. c. XX. (ut *elapidatus*); — *emacrari* pro macrescendo XVIII. c. XXV. »Vefant ea (miliun et panicum) inter vites . . . seri, terram *emacrari* hoc satu existimantes«. Verum lectio est incerta atque in aliis libris est *emaciari*, *emactari*, *emacerari* — quae sane nihilo sunt praestantiora. Certum est *erugare* i. q. rugas tollere, passim obvium, et *erivare*, rivis factis educere XVII. c. XL. »aquas *erivari* convenit« etiamsi Salmasius *eriguari* legendum censet; at hoc etiam ipse finxit vel insolentius illo. — Nec praeterundum *evallere* XXVIII. c. XXIII. i. q. vannando secernere et purgare, a *vallo*, quod est deminutivum vocabuli vannus, contractum ex vannulo. Haec enim verbi explicatio praefenda videtur Harduini sententiae, qui sic verbum hoc enodat: »vallo suo excludi, deglubi, gluma corticeque spoliari«; igitur a *vallum* ducit originem verbi; non plane improbabili ratione, cum *vallum* translate apud Plinium legatur. — *Emedullatus* particip. XXII. c. XLIII. non est solius Plinii.

Verborum cum *in* compositorum participia tantummodo leguntur; huc pertinent: *inassatus* XXVIII. c. XXIII., cuius verbum etiamsi non legitur, tamen eodem iure dici potest in usu fuisse, quo *inungere* et *inunctus*; — *infumatus*, fumo expositus; — *instupens* XXVIII. c. VII. »Salpe (medicus) dicit torporem sedari quocunque membro *instupente*, si quis in sinum exspuat«; i. q. valde stupente. — Contra nihil est frequentius vocabulo *inhumatus*, at *inhumandi* verbo sine dubio nemo usus est praeter Plinium XVII. c. XXX. 3. »non *inhumare* taleas utilius compertum« i. e. non obruere humo.

Pauca cum *inter* copulata invenimus; *internidificare* X. c. XLIX. (XXXIII.) »Ripas excavant atque ita *internidificant*; — *interlucare* XVII. c. XIX., quod iam supra commemoravimus; — *interpurgare* XVIII. c. LXV. 3. »ficus *interpurgari*«, quamquam h. l. sunt qui e Catone *interputari* reponere malint, speciosius quam verius; — *intermeare* V. c. XXXIII. »Pergamum *intermeat* Selinus«; — *inter radere* i. q. per intervalla radere, vel interputare; sed hoc est etiam apud Columellam; at apud Plinium solum *intersersari* IX. c. LXXIV. de piscibus, qui coitus tempore inter se confricantur. — *Interalbicans* particip. olim legebatur XXXVII. c. LXII. »Leucochrysos fit chrysolitho interalbicante« quam lectionem contra omnium Mss. fidem Harduinus esse dicit restituitque: »L. sicut crystallus albicat.« — Praepositionem *prae* pluribus praefixit. *Praeterere* (etiam apud Plautum incerta lectio) est XI. c. LXIII. »dentes *praetrivit*« ubi Harduin legendum censet *pertrivit* i. q. lima castigavit, — at haud idonea causa, quod evincunt plura similiter composita, ut *praeflorere* atque *praegerminare* XVI. c. LI. de fructibus praef-

cocibus, de *praefecundis* arboribus i. e. quarum fecunditas medicamentis coacta est; — *praevernat* (imperson.) XVIII. c. LXV. 2. de praematurō vere; — *praesanare*, quod semel legitur XXIV. c. XLIII. (X.) sed significatione intransitiva: »Cortex eius cicatrices, quae *praesanavere*, aperit« i. q. quae prius clausae erant. Hoc autem a Plinio novatum fuisse, adparet e participio *praesanatus* XXVI. c. LXXXVII. quod verbum activae significationis esse demonstrat. — *Praeoecidere* XVIII. c. LXIX. 3. »cui *praeoecidere* caniculam necesse est.« Alia utut raro obvia, veluti *praelegare*, *praemercari* (ex Cassio Hemina) mittamus, cum etiam ab aliis fuerint usurpata. — Unum ab adiectivo ductum XI. c. I. *praelongare* iam barbari quid sapere videtur.

Reliqua id genus singularia sunt; *opputare* i. q. putare, vel circumputare XVII. c. XXXV. 3; — *persidere* ibd. c. XXXVII. 4. »Pruina lapsa persidet gelatque«; haud dubie *persedere* usitatio scriptura. — *Persorbere* i. q. multum sorbere XXXI. c. XLVII. spongiae *persorbentes*; *prohibare* pro simplici *libando* pluribus locis usus est. — *Recanere* aut cantando respondere, ut X. c. LI., aut de solvendis incantamentis, ut XXVII. c. VI. quae verbi forma adeo abnormis, ut non sit mirandum, vulgatas: *recinere* — *recantare* — in aliis codd. inveniri. Explicatione non opus est in verbis *regerminandi*, *revisitandi* XVIII. c. III.; *regenerandi*, *rasarriendi* similibusque.^{*)} Ex verbis cum *sub* — *super* — compositis Plinius solus habet *subarare* XVI. c. L.; — *suffervefacere*, *sufferveferi*, suffervefactus, pluribus locis; tum semel insolentius *supermandere* XXXI. c. XXXIII. »raphanos *supermandi* ex mulso aceto iubent«, i. e. post aliquid mansum aliud quid mandere, plane ut XIX. c. XXXIV. *superedere* ἐπιφαγεῖν. — *Superilligare* in re medica et describendis emplastris usitatissimum; *superfoetare* item graecum ἐπιχυεῖν; — *superintegere* XVIII. c. VIII.; *superemori* X. c. II. de phoenice, nido suo supermoriante. *Superradendi* verbum plane inusitatum, sed particip. *superrasus* est XXII. c. XLIX. ut *superenatus* ab inusitato superenasci XIX. c. XV. — Alia incertae auctoritatis, in quorum locum nunc melior lectio successit, mittimus; ut *supervestire* XVI. c. LX., pro quo Harduin. ex auctoritate codd. reposuit: *semper vestire*.

§. 2. Etiam inchoativa plura apud Plinium leguntur, quae apud alios scriptores frustra quaesiveris; veluti *cornescere* semel XI. c. CIX.; — *eiuncescere* de vitibus gracilescentibus XVII. c. XXXV. 14; — *gelascere* XIV. c. XXVII.; — *mucescere* ibd. c. XXVI.; — *elassescere* XVI. c. XLI. »In arboribus tamen nimia germinatio *elassescit* (lassescit Vet.)« — quod Harduinus mirum in modum interpretatur: arborum fecunditatem exhaurit efficitque ut fructus suos alternent — quasi *elassescit* sit activum. — *Lapidescere* passim legitur; *gemmescere* semel XXXVII. c. LVII. i. e. gemmam fieri, non confundendum cum *gemmascere* i. e. pullulare, gemmas emittere, quod invenitur etiam apud Columellam. — *Arborescere* XIX. c. XXII. »malvas septimo mense arborescere« i. e. in arborem crescere; — *decaulescere*, graec. ἐξκαυλεῖν, διακαυλεῖν ibd. c. XXXVI. »Raphanus utique iucundior detractis foliis, antequam decaulescat; — *masculescere* (de plantis) XVIII. c. XXXIV.; *rufescere* pluribus locis; — *stirpescere* semel usurpatum XIX. [non IX. ut est apud Forcellinum] c. XLII. de asparago, qui in stirpem convertitur; — *tenerescere* non est solius Plinii, nec *sterilescere*.

^{*)} *Retondendi* verbum incertae auctoritatis, sed particip. *retonsus* est XVIII. c. XLV.

§. 3. Jam simplicia inter glossas Plinianas haec referenda videntur:

Aratrare vel *artrare*, cuius verbi vim explicat XVIII. c. XLIX. 4. i. e. segetes iam enatas rursus arando proscindere; ex illo loco Plinii adparet, eius aetate *artrare* in usu fuisse. — *Arbustare* XVII. c. XXXV. 22. i. e. arboribus agrum conserere ad vites maritandas. — *Autumnare* i. q. autumnum facere, dies autumnales adducere II. c. XLVII. »Corus *autumnata*«; ibd. c. LI. est etiam *vernata* eadem vi positum i. q. ver affert. — *Aestivandi* et *hiemandi* verbo nunquam sic usus est. — *Caminare* i. q. in camini formam oblinere XVI. c. VIII. »Acervi confertis taleis recentibus luto *caminantur*« plane ut *camerare* X. c. L. in modum camerae struere, et *globare* *σφαίρω*. — Misso verbo *cratire*, quod supra iam commemoravimus, Plinianum esse dicimus *carbunculare* i. e. carbunculo laborare; et de arborum vel vitium morbo et de ulceribus hominum usurpatum; passim legitur. — *Cuspidare* i. q. cuspide instruere XI. c. XLV. »Alii praefixa hastilia cuspidant.« Locus suspectus. Salmasius et Harduin. legunt: praefixa his (i. e. urorum cornibus) pila cuspidant h. e. pro pilorum cuspide acuminatis utuntur cornibus. Simile est *spiculare* XI. c. I. de insectorum aculeo. — *Elutriare* i. e. de vase in vas fundere XIV. c. XXI. — *Fetificare* i. e. parere de avibus maxime dictum, ut *cerificare* IX. c. LXII. de apibus et *mellificare* XI. c. XIX. — *Mangonizare* et mangonizatus, mangonium, pluribus locis. *Olivare* i. q. olivas colligere, certe particip. XV. c. III. »Quippe *olivantibus* lex antiquissima fuit oleam ne stringito. Sic ab inusitato *pastillico* est participium XXI. c. XXV. *pastillicans*, *pastilli* rotundam figuram referens. »*Barbulae pastillicantes* coronare dicuntur petilium herba« i. e. folia floris quae sunt instar barbulae; et ab inusitato rostro — vomer *rostrans* i. q. simplici rostro instructus; cf. XVIII. c. XLIX. 2. — *Rufare* i. q. rufum facere (pluribus locis), igitur aliter quam *candicare*; — *tepidare* de vitibus, quas tempore hiemis circumfundunt riguis, ne frigus eas aduret XVII. c. XXI. — *Salivare* non ea qua apud Columellam significatione, sed pro salivam emittendo, IX. c. LX. »Conchae lentorem salivant.« *Sementare* semel XVIII. c. LXVII. 4. »est enim imprimis inutile enasci herbas *sementaturas*« i. e. semen producturas, quo loco sane alii probabiliter conieciunt: *semen daturas*. — *Stipendiari* i. q. stipendia facere VI. c. XXII. »Regi eorum peditum sexcenta M. *stipendiantur*« — *Siderari* i. q. sidere afflari et torpescere IX. c. XXV. »Silurus Cuniculae exortu *sideratura*« i. e. *ἀστροβλήτης γίνεσθαι*. — *Siliquari* i. q. siliquas facere; XVII. c. VI. »nihil esse utilius lupini segete, prius quam *siliquetur*«; forma activa est XVIII. c. XLII. »Id (ocymum) erat e pabulis segete viridi desecta, antequam *siliquaret*« i. e. secundum Varonem: generet siliquas. Nunc falso legitur h. l. *gelaret* — quocum verbo comparare potes *spicari*, ut »grana spicantur« XVIII. c. X. 6. — Tandem Plinianum est *tergorare se* VIII. c. LXXVIII. de suibus, quae luto *se tergorantes*, quasi alterum tergus sibi faciunt; similiter dixit *se pulverare* XI. c. XXXIX.; — *vermiculari* i. e. vermiculis laborare, quem et plantarum et arborum morbum esse supra diximus. Est graecum *σκόληκας ἔχειν*. cf. XVII. c. XXXVII. 3. *)

§. 4. Absoluta hac disputatione de glossis Plinianis, restat ut exponamus vulgaria et omnibus usurpata, quibus Plinius insolentiorum tribuerit significatum, unde facile colligas, quam quaesitum vel potius affectatum fuerit eius dicendi genus.

*) De *salvandi* verbo apud Plinium, vel potius *salutandi* cf. Döderlein. Synonym. T. I. p. 29.

Translata significatione paulo audacius usus est *allatrandi* verbo de mari, quod cum strepitu littora alluit, ut IV. c. IX. »Tot sinus Peloponnesi oram lancinant, tot maria *allatrant*«; — atque vel poetica libertate audacius: II. c. LXVIII. »Oceanus infusus in multos sinus vicino accessu interna maria *allatrat*« ubi mare mare allatrare dicit paulo ineptius, ut nobis quidem videtur. — Propria etiam usus est significatione verbo *accumulandi* (accumulatio) i. e. circa arborum radices terram aggerare easque sic operire, ne solis ardor eas exurat; cui contrarium est ablaqueare.

Concoquendi verbum mira ellipsi aut significatione passiva positum XXIV. c. XXXVIII. »Vomicas panosque difficile concoquentes cum farina hordeacea mollit (s. c. vitex)« — quo loco aut ad »*concoquentes*« supplendum pus, etiamsi hoc non antecedit, ita ut vomicae ipsae dicantur pus aegre concoquere, aut verbum hoc neutrali sensu accipiendum, pro *maturescendo*. — H. l. iam adiungere liceat pauca de synonymis verbi concoquendi. *Perficere* sic usurpari satis notum; cf. XI. c. CXVII. »Difficulter *perficiuntur* omnia in cibis acria«; — sed ibd. c. CXVIII. *vinci* eodem ponitur intellectu: »Per vigilio quidem praecipue *vincuntur* cibi.« Similis est potestatis *peragendi* verbum. *Peragere* enim dicuntur et animalia quae concoctionem facile absolvunt, ut IX. c. LXXXVI. »huic (stellae in mari) tam igneum fervorem esse tradunt, ut omnem cibum statim *peragat*«; — et arbores et frutices, fructum ad maturitatem perducentes. cf. XIII. c. XLI. »Similis et aphaece, bifera aequae quam adrachne. Priorem fructum incipiente pubescere uva *perugunt*, alterum initio hiemis.« H. l. Gr. et Al. exhibent *peragit*, quod sane constructioni est accommodatius, at sunt apud Plinium similia numerorum enallagae exempla; *peragunt* ad aphaece referendum. — Inde *peractus* iusta sua magnitudine absolutus, plane conformatus, de quolibet fetu. XXIX. c. XXXVI. »cochleae, quae nudaee inveniuntur, nondum peractae.« — Tandem simplex *feri* nonnunquam ita legitur. XIV. c. XXI. »Nihil quidem ex his anno durare, praeterquam quae vetustate ipsa *feri* diximus«, i. e. absolvi, confici. Sed iam redeat unde digressa est oratio.

Suspecta procul dubio XIII. c. XXXIII. (XX). »Interior Africa ad Garamantas usque et deserta palmarum magnitudine et suavitate *constat*«, ubi incerta est verbi significatio et legendum videtur: *praestat*; at certiora sunt: *cohonestandi* verb. figuratius usurpatum XXII. c. XV. (XIII.) »*cohonestande defluvia capitis*« i. e. cohibere capillorum defluvia, quibus caput deturpatur. Gronovium non miramur, *coerceri* vel *coercitari* legendum esse censentem. — Insolentissima etiam sunt, quae leguntur II. c. LXXXI. (LXXIX.), ubi narrat Anaximandrum Milesium motum terrae divinantem Lacedaemoniis praedixisse, *ut urbem ac tecta custodirent* i. e. caverent, vitarent, tecta ne subirent; simile exemplum haud dubie frustra quaesieris. — Tropice usus est *cruciandi* verbo XXXIII. c. XX. nullo additamento metaphoram mitigans: »Namque aes *cruciat* imprimis accensumque restinguitur sale« — ubi *cruciat* est i. q. accenditur, tunditur exerceturque. Quo loco metaphora sine dubio durior est, quam in enuntiatis: *terra igne et ferro cruciat* — et similibus. — Contra *carinandi* verbo significatione propria usus est Plinius solus IX. c. LII. »Saliunt pectines et extra volitant seque et ipsi *carinant*« i. e. testae parte concava aurae opposita tamquam carina utuntur.

Translate usurpavit de acinis dictionem »*in callum decoqui*« pro: *durescere* XVII. c. XXXVII. 6; — *degustandi* verb. de coloribus XXXVII. c. XL. ubi amethysti nomen explicans dicit: »causam nominis afferunt, quod usque ad vini colorem non accedunt; priusquam enim *degustent*, in violam desinit

fulgor« — id est: color quodammodo intra vini colorem subsistit, vix in eum deficit. — Aliud sic insolentius usurpatum verb. *expellendi* prostat ibd. c. XVII. »translucentem colorem expellit« i. e. emittit; *) vel ibd. c. LVI. *interpellandi*; — »purpurae nigris *interpellantibus* maculis« i. q. interspersis — quae omnia a lexicographis ommissa diligentiorum requirunt explicationem. His statim subiungamus insolentiorum *ducendi* pro *colorando* usum XXVIII. c. XL. »Taurino felli praecipua potentia etiam in aere pellibusque colore aureo *ducendis*« quo loco miram habemus inversionem: *ducere* pelles colore — pro *pelles ducunt colorem*.« Altera lectio »*inducendis*« omnem sane difficultatem tollit. — *Trahendi* autem verbum de colore passim usurpatum Plinius etiam in alio simili ponit, ut XXXVI. c. XXX. »lapis ignem trahit« i. q. concipit et ibd. c. XLVII. »eos aqua *trahit* aciem« i. e. acuitur. Verum haec *trahendi* notio facilius explicatur, quam illa XXXIII. c. XXVIII., ubi de chrysocolla: »miscetur et collyriis ad cicatrices oculorum ac viridibus emplastris ad cicatrices *trahendas*« — i. e. extendas ac delendas — quod apud Dioscoridem dicitur: *δύναμιν ἔχει ἢ χρυσοκόλλα σμηκτικῶν ὀφθαλμῶν* — perinde atque XXXIV. c. XXII. (X.). Etiam de hac significatione *trahendi* Forcellini non commemorat. — Sed redeamus ad verborum ordinem.

Varronianum est, non Plinianum, XXXVI. c. LXIX. *deludere* pro *desinere ludere* usurpatum. »Inde enim cinis luxatis potus medetur, ut licet videre gladiatores, *cum deluserunt*, hac iuvari potione« i. e. quum aliquo membro luxato in certamine iam digladiari non possunt. — Jam *differre* vel potius *partie dilatam* quam significatione XXXIII. c. XLI. (VIII.) accipiendum sit, nescimus. Haec enim l. l. legimus: »Ex secundo minio invenit vita et hydrargyrum in vicem argenti vivi, paulo ante dilatam.« Estne fortasse *dilatam* h. l. id quod: *commemoratum*? Nam ibd. XX. (III.) breviter hydrargyri mentionem fecit.

Inter affectata et audacius colorata referimus etiam XI. c. CXVIII. »Homini non utique septimo letale est inedia durasse, at ultra undecimum plerosque certum est mori, *esuriendi* semper inexplebili cupiditate animalium unicuique.« Quo l. *esuriendi cupiditas* dicitur pro *esitandi*, comedendi cupiditate, quam nemo vincere potest. Qui Plinii stilum, ut vulgo dicunt, cognoverit, lectionem hanc fortasse non reiiciat, quamquam inesse h. l. scabritiem quandam non facile detergendam haud negamus. — At iam notatum est ab interpretibus *excubandi* verbum pro *vigilando* translato sensu positum XXXV. c. XXXII. »quoniam rerum, non animi pretiis *excubatur*« i. e. quoniam nunc homines magni faciunt res, (opes, divitias), non ingenii opera — et XXXV. c. XXVII. »Omnis eorum ars *urbibus excubabat*« i. e. in ornandis urbibus versabatur. — Similes tropi XXXVII. c. VII. »T. Petronius moriturus invidia Neronis principis, ut mensam eius *exheredaret*, trullam murrhinam trecentis talentis emptam fregit« i. e. ut mensam Neronis ea privaret, ne ille heres esset; — vel XXXIV. c. XXV. »Tabesque mercium et fraus Seplasiae sic *exteritur*« i. q. tabidae merces officinarum et putrida Seplasiariorum medicamenta sic coemuntur et ab aegris consumuntur; — vel XXXV. c. XXXVI. *emoriendi* verbum de lacte in uberibus evanescente et *eliciendi* de alvo XIX. c. XXVI. pro v. deiiciendo vel ciendo.

Magis ex sententiarum ratione quam ex ipsa verborum significatione explicantur XXVII. c. LXII.

*) Audacius etiam dictum IV. c. XX. »Terra *expellit* Criumetopon Cyrenas versus.

»spinae, ex quibus fiunt aeneae fulloniae« quod Harduinus interpretatur: spinae, quibus implentur aeneae cortinae fulloniae — quod nobis plane praepostere dictum esse videtur, nec certiora sunt II. c. XXXIII. »Cometes in uno totius orbis loco colitur in templo Romae admodum faustus Divo Augusto iudicatus ab ipso, qui *incipiente eo* apparuit ludis, quos faciebat Veneri Genetrici.« Jam ordo verborum: admodum — ab ipso — mirum quantum turbatus, nec satis claret, quo *incipiente eo* spectet, ad cometemne an ad Augustum; h. e. qui (Augustus) incipiente hoc cometa apparuit ludis — aut qui (cometes) incipiente Augusto i. e. ludos parare vel primis imperii eius temporibus apparuit. — Utut erit, *incipit cometa*, dicitio durior, nec quae proferri possunt ex Plinio: *Idumaea incipit, iuventa incipit* huic plane respondent. At hoc non transimus silentio, durissimam esse ellipsin in hoc eodem verbo XXX. c. XXVII. »datur incipienti« i. e. incipienti morbo, cum morbus incipit, etiamsi vocabulum hoc *morbus* non antecedit. De constructione ipsa infra disputaturi sumus. — Huic statim adiiciamus alterum ellipsis exemplum, quamvis minus offendens in Praefat. (p. 24.) »si non esset *interceptus*« i. e. fato, nisi esset mortuus, cui verbo, quod sciamus, semper ablativus rei additur. Jam supra dixi me quae ex aliis scriptoribus comparationis causa afferri possent, dedita opera omisisse. Alias ex Valerio Maximo commemoranda erant similia sic absolute usurpata pro moriendo, *finiendi* verba et *terminandi* ut II. VI. 7. *homo terminatur* i. q. obit, vel III. 2. 6. IX. c. 12. »Euripides atrocius *finitus*« quae sane inaudita esse videntur; cf. tamen Oudendorp. ad Appul. Metam. VI. 127.

Metaphorice posita sunt *neri* de radicibus, quae inter se serpunt mutuoque discursu *nentur* XVII. c. XXXIII.; — *offensare* pro deficere XX. c. XVII.; — *obmutescere* de rebus quae deficiunt, non sunt in usu. cf. XXXIII. c. LVI. »Sil Lydium Sardibus emebatur, quod nunc *obmutuit*« (alia lectio est *omittunt*, quae posthabenda); — *mitigare* i. q. extenuare, XXXV. c. XIX. de melino: pilos detrahit et *mitigat* i. e. *λεπτόνει*. — Per *κατόχησιν* quandam *peragranti* v. usus est pro adeundo XXV. c. V. »*peragratis* magis« i. e. cum Pythagoras et Democritus magos adissent, vel *excutiendi* v. pro cognoscendo de regionibus XI. c. XXXIII. »Ptolemaeus Troglodyticen *excussit*« i. e. perlustravit.

Rarissima omnino sunt *pendere* i. q. sub hasta venire XIII. c. XXIX. (XV.) »Duae mensae venundatae sunt a Juba rege pendentes« i. e. post Jubae mortem sub hasta venditae. *Pendere* de rebus quae venales prostant vel *sub titulo pependerit* explicant sane interpretes; de praepositione *a* pro *post* usurpata nos infra commemorabimus. — Sine exemplo nec a Lexicographis notatum est *patere* pro complectendo vel capiendo. XXXIII. c. XV. »Talentum autem aegyptium pondo LXXX. *patere* Varro tradit.« Vocem hanc etiam Senecae familiarem esse dicit Harduinus, vellem locos indicasset. Nec scimus, dixeritne quisquam *agere* graeco more pro *pendendo*, ut ibd. c. XXI. (IV.) »Saepius vero caedunt (silices), fracturis CL. libras fere *agentibus*« i. e. *ἀγόντων, ἐλχόντων*. — Offendunt etiam summopere XV. c. XX. extr. »Ara inde sublata gladiatorio munere Divi Julii, *quod novissime pugnavit* in foro.« Sunt qui *pugnavit* h. l. pro *pugnatum est* accipiant, mirum quantum insolenter. Fortasse *munere* per metonymiam, de qua infra dicemus, pro *gladiatoribus* posuit, unde *pugnavit* activ. — Obscura item, quae prostant VII. c. XX. Illo l. de pluribus narrat cursoribus, qui incredibili celeritate multa millia passuum cucurrissent; tum addit: »Cuius rei admiratio ita demum *solida perveniet*, si quis cogitet nocte ac die longissima iter vehiculis tribus Tiberium Neronem emensum, festinantem ad Drusum fratrem

aegrotum in Germania; in eo fuerunt CC. M. pass.« — Vix erit quisquam, quin in his verbis: *solida perveniet* haeserit. Colligimus facillime ex sententiarum ratione verbis his significari id q. augeri, in summum crescere, elucere vel simile quid, sed dictionem ipsam similibus explicare nequeo.

Omisso *profundi* verbo quod apud Plinium pro *resolvere flando* poni, cum de metallis agatur, cf. XXXIV. c. XX. (IX.) iam docuerunt interpretes, poetarum more dictum proferamus *velis raptus* pro: cum navem *celeriter conscendisset* XXXV. c. XXXVI. 33. de Ctesilocho pictore, qui male exceptus a Stratonice regina, eam pinxit volutantem cum piscatore; tum addit: »eamque tabulam in portu Ephesi proposuit, *ipse velis raptus* est.« — XVII. c. XXIV. *sperandi* verbum inanimatis tribuit: »surculi germinatione turgentes, qui parere illo *speraverint* anno«; — at plane inauditum et novum XVIII. c. XLVII. ubi legimus, adversus vim tonitruum ne ficus decidant remedium esse: »ut antea stipula hordeacea areae *stringantur*« i. e. spisse ac dense spargantur — quae explicatio quum sane durissima esse videatur, quis est quin praetulerit alteram lectionem: *sternantur*? — Nec silentio premam in Praefat. p. 17. »Jam pridem peracta (historia) *sarcitur*«, ubi etiam non vulgari significato hoc accipiendum esse, sed pro accuratius limando, perpoliando, Harduinus demonstravit. At vix ferenda lectio XV. c. XL. ubi de lauro haec habet: »interaneorum etiam vitia et nervorum *ligno torquente*« i. e. cum lignum eius vel cortex morbos interaneorum nervorumque pellat, avertat? Sed quis est, quin »torquere vitia« ineptum esse dicat? — Jam aperte vitiosum est XVI. c. LXXIV. »Robur vere caesum teredinem sentit, bruma autem neque *viatur* neque pandatur.« *Viatur* plane barbarum est mirorque interpretum oscitationem, qui non viderint aut alteram lectionem *vitiatur* recipiendam esse, aut legendum *vietur* i. q. inflectitur, ut concedimus, *viendi* verbum vincendi magis atque ligandi, quam *se infectendi* notionem habere.

Tandem *vorandi* verbum h. l. proferamus, etiam libertate poetica a Plinio bis audacius positum: cf. IV. c. V. »erumpentia maria omnem Peloponnesi latitudinem *vorant*« i. e. exedunt, coarctant; et XXXVII. c. VII. »Idem Pompeius quantum iu reliquis generis eius *voraverit*, licet existimare ex multitudine etc.« — i. e. quantas opes profuderit, quantum pecuniae consumserit.

§. 5. At sunt etiam, quibus Plinius *constructionem* abnormem tribuerit. H. l. ante omnia commemorandum *petendi* verbum, quod cum *ex — inde* — particulis coniungi oportere expectaveris, ille fere constanter cum *in* c. accus. vel *quo* construit. Quamquam hoc interpretes non fugit, ratio opusculi tamen flagitat, ut hoc etiam repetamus nostraque addamus. Sic igitur de conventibus et urbibus quae iuris dictioni certae adscriptae sunt et contributae; cf. V. c. I. »Zilis iura *Baeticam petere* iussa (pro ex Baetica)«, quae est Plinii constans dicendi ratio idemque significans quod *negotia deportare* V. c. XXXII. (XXX.) »deportant Adramytteum negotia Apolloniatae.« Adparet duas notiones esse confusas deportandi vel se conferendi *quo* — et reportandi *ex*. Verum generaliter etiam de aliis rebus, ut XII. c. XXXVIII. »Peregrinos odores Arabia *ad* exteros petit« (i. q. ab exteris); — XXXIV. c. XLVII. »Pretiosissimum plumbum fabulose narratur *in* insulas Atlantici maris peti«; — et XXXVI. c. I. »ad frigidus potus vas petitur *ad* nubila« i. e. quaeritur vas crystallinum in montium iugis, quae nubila contingunt, ubi cf. notas Gronovii et Harduini, qui plures locos transcribere, quos repetere nolim.

Alterum est *excellendi* verbum cum accus. iunctum XIX. c. XLI. 3. »*habitum* plantae excellens«; vel, quod profecto facile explicatur, *parturiendi adversus* aliquid in Praefat. p. 25. »Audio Epicureos

quoque *parturire adversus* libellos quos de Grammatica edidi« i. e. parare se ad impugnandum. Unum propter falsam quae est apud Forcellinum explicationem, praeterire nolim. Lib. enim XXXVII. c. LXXVI. (XIII.) narrat de ratione deprehendendi falsas gemmas: »Decussi fragmenti paulum, quod in lamina ferrea teratur, efficacissimum experimento *excusant* mangones gemmarum. Recusant similiter et limae probationem.« Forcellini locum hunc proferens haec adscripsit: *afferunt* tanquam certum argumentum, quod gemma *ficticia* (legend. *facticia*) non sit. Quod quid sibi velit ignoramus. *Excusant* h. l. non est *afferunt argumentum*, sed *permittere nolunt*, ut fragmentum decussum in ferro teratur, quippe cum facticium in pulverem non conteratur, ut sincerum. Igitur h. l. *excusant* i. q. recusant, quod etiam illud *similiter*, quod sequitur, demonstrat.

Tandem operae videtur adnotasse, participium *invasus*, cuius apud Lexicographos, quos evolvi, nulla alia nisi Palladii auctoritas citatur, iam apud Plinium prostare loco satis munito XXXVII. c. LX. »Hyeniae ex oculis hyenae et *ob id invasae* inveniri dicuntur« i. e. et ob id venatu quaesitae, petitae. Sunt quidem etiam l. l. aliae lectiones, sed absurdae nec immerito Harduinus, quam protulimus, recepit.

CAP. IV.

De adverbiorum ratione.

Quae ad hanc classem pertinent, paucis una paragrapho complecti cogimur. Observamus rerum describendarum rationem effecisse, ut prae ceteris magnam adverbiorum in *atim* copiam apud Plinium inveniamus, quorum pleraque ipse sibi finxisse videtur. Huc spectant: *arcuatim* XXIX. c. XXXIX. de millepeda *arcuatim repente* i. q. quasi arcus quosdam in rependo efficiente. Tum maxime in describendis concharum formis: cf. IX. c. LII. *cuniculatim* (alii hab. *caniculatim*), *pectinatim*, *imbricatim*, *muricatim*, *cancellatim*, quae nulla egent interpretatione; vel in lignorum mensarumque descriptione XII. c. XXX. »Mensae *undatim* crispae« cuius adverbii locum tenent etiam circumlocutiones *in* praepositione adscita, veluti *in venam* crispae, *in vortices* crispae, etiamsi, ut hoc obiter notemus, tantum hodie nobis sumere non possimus, ut ommissa hac circumlocutione ad arbitrium adverbia procedamus, id quod fecerunt interpretes Plinii, qui in notis, quas dicunt, *venatim*, *vorticatim* aliisque id genus formis usi sunt plane inauditis ideoque barbaris. — In hanc classem referenda etiam: *cuspidatim* XVII. c. XXIV.; — *fornicatim* XVI. c. LXXXI. (XLII.) »Cetera omnia inferiora pandantur, palma e contrario *fornicatim*« i. e. fornicis in morem sursum versus — quamquam est h. l. alia lectio *fornicatur*. — *Geniculatim* XXI. c. XXXIX. »Nam vincapervinca semper viret in modum lineae foliis *geniculatim* circumdata« i. e. *κατὰ γόνα*; — *orbiculatim* XI. c. LXVII. »vertebratis *orbiculatim* ossibus flexilis; — *pedatim* XI. c. CV. »leo tantum graditur et camelus *pedatim*« i. e. ut sinister pes non transeat dextrum, sed subsequatur. — *Castellatim*, quod apud Livium primaria et vulgari significatione legitur, apud Plinium XIX. c. XXXIV. tropice de herbis usurpatur: »Quidam ulpicum et allium in plano seri vetant *castellatimque* grumulis imponi, distantibus inter se pedes ternos«; — quo loco *castellatim* i. q. *σωρηδόν*, acervatim. *)

*) *Assultim* ingredi de phalangiis XI. c. XXVIII. etiam ipse finxit.

Singularia magis sunt *magnopere*. cf. XXXV. c. XXXVII. »non exstant exempla *alia magnopere*« i. q. multa alia; vel X. c. II. »phoenicem haud scio an fabulosum, unum in toto orbe nec visum *magnopere*« i. q. raro.

Aequae insolentius bis iunxit cum dativo. cf. XXIV. c. XXXII. »Gutta *aeque propoli* efficax« et XXXV. c. VI.« quibus imaginibus equidem nullas *aeque* demiror tam longo aevo durantes in orbitate tecti.« Harduinus memor loci Plautini »Nullus est *hoc* meticulosus *aeque*« etiam apud Plinium *propoli* et *omnibus* pro ablativis habet, sed simplicior eorum ratio, qui *aeque* ex analogia pronominis *idem* cum *dativo* constructum esse existimant.

Nec silentio transimus locum XV. c. XXVIII. »quod solum pomum simile frutici *terraeque* gignitur.« Non ignoramus, hunc adverbii usum (*terrae* pro *humis*) non esse plane inauditum, sed exemplorum ratio, quae ad comprobendam hanc dictionem vulgo proferuntur, a nostro paulum differre videtur.

Mira est etiam forma adverbii *causate* — *causatius* in Praefat. »nos *causatius* defendimus« i. q. cum meliore causa. *)

Quia loci angustiae urgent, de coniunctionum abnormi positione nihil hoc loco dicam; hoc tantummodo vel verbo monuisse satis sit, *num* particulam apud Plinium pro *etiannum* (ночь жет) usurpari, ut XXII. c. XVI. »Ea *quoque num* . . . medetur contusis incussisque« — atque XXV. c. V. »eamque *num* feminarum scientiam praevalere.« Nobis in praesens non satis compertum est, num hic particulae huius significatus iam a viris doctis enotatus sit.

Insolentius etiam, dummodo verba recte se habeant, posita est *quam* particula pro *praeterquam* XIV. c. II. »Totus principatus Italiae est, ut vel hoc uno (vitibus) omnia gentium vicisse, quam oderifera, possit videri bona.« Ordo verborum sane nimis turbatus non debet tamen offendere, cum apud Plinium perplexior constructio haud uno loco occurrat, at illud *quam* ex loci sententia profecto aliter explicari non potest, nisi ratione Harduini, ita ut sensus hic sit: Italiam vitium bono omnes terras superare, praeterquam odoriferas, nulli terrae cedere nisi odoriferis eo quod aromatum copia non abundet, quamquam, quod statim adiungit, vitium odor omnes odores superat.

CAP. V.

Absoluta sit utut imperfecte et perfunctorie parte etymologica speciminis, facere non possumus, quin vel pauca tantum syntaxis capita leviter perstringamus, ut inde etiam patescat, quantopere Plinius ab usu et arte ceterorum maxime classicae aetatis scriptorum discesserit quantumque in lingua novaverit. Primum igitur disputabimus de ablativi vi et significatione, tum paucissima de metonymia adiungamus.

Jam primum monemus, Plinium hac in re inusitata sectatum esse, quod ablativo sine praepositione pluribus locis ad significandum tempus usus est, non solum (id quod tralaticium et omnibus commune) in adiectivis, veluti *matutino*, *nubilo*, *quotidiano* i. q. quotidie XI. c. LVI., *supremo* (i. e. die) XI. c. CXV. (LIII.), *verno* i. q. vere XIII. c. XLVIII. (XXV.), *tranquillo*, *meridiano* IX. c. VIII. et in signi-

*) Vix quae proferantur digna: *centuplicato*, *quadruplicato* venire, vel consistere. cf. VI. c. XXVI.

ficando ventorum flatu, ut *Favonio* XIX. c. XXXVIII. i. q. Favonio flante *) unde etiam copia adverbiorum *cetero*, *supervacuo* alia; sed etiam in nominibus substantivis, quamquam haud raro accidit, ut cum alia sit etiam in aliis MSS. lectio dubius haereas. — Certissimum est *principatu* quod saepissime legitur; cf. sodes XXXIII. c. XXI. (IV.) *principatu* Neronis et ibd. c. LII. — vel *accessu* (ex analogia *adventu* similiumque) de morbis i. q. in accessione, ut XXVIII. c. XI. — Reliqua ex ordine proferamus.

II. c. CXII. (sine lectionis varietate) »Dionysodorus *senecta* diem obiit in patria« licet aliis locis, ut par erat, addita praepositione; cf. XXXV. c. VII. »extinctus nuper *in* longa senecta.« — *Dedicatione* ex analogia dictionum *ludis*, *gladiatoribus*, semper sic legitur; cf. VII. c. XLIX. (XLVIII.) »A Magno Pompeio magni theatri *dedicatione* anus pro miraculo reducta«, et VIII. c. VII. »Pompei altero consulatu, *dedicatione* templi Veneris genetricis pugnare in Circo viginti.« cf. ibd. c. XXV. — At insolentior est ratio casus VII. c. XI. (XIII.) »Qui M. Silanus cum Asiam obtineret post consulatum, Neronis principis *successione* veneno eius interemtus est.« Nihil reliquum est quam ut dicamus: *Neronis successione* h. l. idem esse atque: cum Nero rerum potitus esset. His adiungenda sunt ex lib. X. c. XXXII. »Olorum *morte* narratur flebilis cantus« i. e. dum moriuntur olores. — Simplicius est et omnium codd. auctoritate munitum X. c. LXXV. (LIV.) »si *incubitu* tonuit, ova pereunt;« — et X. c. LXXXV. »Proventus eorum (murium) *siccitatibus*« i. e. ἐν τοῖς ἀρχμοῖς, ut est apud Theophrastum; vel ibd. c. LXXXVI. »salamandra *serenitate* deficiens« i. e. sereno moriens. — Plane eadem ratione XVI. c. XLII. de cinnamomo: siccitate gaudens, sterilior *imbre*; et ablativus *messibus*, qui pluries sic legitur, ut XVI. c. XLIII. (XXVI.) »Sed et terebinthus *messibus* reddit semen« i. e. περὶ πυροῦ ἀμυγρόν quando triticum metitur. Non constans scriptura XX. c. LV. de pulegio: »*Tussi* in perfrictione fricari ante balnea convenit« i. e. eos qui tussi laborant, quam ex perfrictione sibi contraxerint, silvestri pulegio fricari convenit. Probanda igitur lectio Gr. et Al. »*in* tussi ex perfrictione.« — At nullus est MSS. dissensus XXIII. c. LXXI. »*Mori germinatione* priusquam folia exeant, sinistra decerpi iubentur futura poma« i. e. quo tempore morus germinat. Quocum conferas locum cetera difficilem XVII. c. XLV. »*Putatione plagae* ad vitalia sunt omnia quaecunque non supervacua« i. e. dum vites et arbores putantur, plagae fiunt usque ad vitalia omnia, quae non sunt supervacua. cf. Harduin. — Tandem XVIII. c. XXXIX. (XVI.) »*Silicia*, hoc est foenum Graecum, *scarificatione* seritur.« Mira est huius casus significatio; i. q. proscissa leviter tellure, post vel per scarificationem; — nec satis certa eius ratio XVII. c. XI. »*Pilas* autem laurus et myrti *inopia* a trimatu tempestivum est transferre.« Haec verba Harduinus sic explicat, ut par erat: baccas myrti laurive tomice in pilae modum circumlitas et ita satas, *ubi cogit inopia*, a trimatu tempestivum est transferre. At quotusquisque est quem non offendat illud *inopia* sic mediae orationi interpositum? *Inopia* sic temporali significatione legimus etiam XI. c. XIV. »est in eximendis favis necessaria dispensatio, quoniam *inopia* cibi desperant (apes)« et apud Valerium Maxim. V. I. I. »Quarum prima *inopiā*, proxima occupatione, tertia ancipiti fortuna praestatur« — i. e. *liberalitas* praestatur *in inopia*, humanitas i. e. cura rei alienae in occupatione. — At confitemur non plane haec illi Pliniano accommodata esse.

*) Sic etiam explicanda XVI. c. XLII. »Deflorescunt omnia intra octavum Idus Julii, *praecursu* Etesiarum« i. e. antequam Etesiae flare incipiant.

§. 2. Verum nonnunquam etiam loci significationem recipit, incertum culpane editorum an auctoris ipsius praepositione omissa. Sic, ut videtur, satis certa lectio XXXVII. c. II. (I.) »ostendunt Romae sardonychem Concordiae *delubro*; vel ibd. c. VII. »*hortis* exposita«; cf. XVII. c. XIX. »Ergo plurimum intererit *haec inquisitione*« ubi sane praeferenda videtur lectio Gr. et Al. *haec in* quaestione. Ne tamen confidenter corrigas, monent similia, ubi nullus est MSS. dissensus, ut ibd. c. XXXVIII. (XXV.) »Inventum *Sibyllinis* libris«; illud lib. XVII. c. XVI. »Ficus *si scilla* seratur, ocyssime ferre traditur pomum« ex Theophrasto ἐὼν ἐν σκύλλῃ φουτευθῆ — facillime corrigi potest, sed vereor ut recte, cum certissimum sit XIX. c. XLVIII. »hipposelinon . . . nunc et *repastinato* seritur« quamquam aliis locis ut ibd. XLI. 2. »*in* repastinato serere« legimus. Interpretes ad haec plane non adverterunt et simplicem ablativum sic explicant, quasi praepositio addita esset, veluti XX. c. XXVI. »Communia autem sponte nascentibus (silvestribus) candor, caulis interdum cubitali longitudine, et *ipso* et foliis scabritia.« Vet. habet *in ipso*; Harduinus autem sic explicat: et *in ipso* caule et in foliis quaedam scabrities inest: — sed in editis praepositionem *in* desiderari ne commemorat quidem. Male affectus sine dubio locus XIII. c. XLVII. ubi de cytiso hoc tradit: »Non ex alio pabulo lactis maior copia (pecudibus), *super omnia pecudum medicina a morbis omni usu praestante*. Harduinus *pecudum medicina* dicit esse positum pro: *in pec. medicina*. Etiamsi hoc non plane a consuetudine Pliniana abhorreere exempla a nobis prolata demonstrant, tamen illa *a morbis* quo spectent nescimus. Construendum enim: praestante (s. c. hoc pabulo) omni usu (i. e. sive aridum, sive decoctum) in pecudum medicina. Verum, ut diximus, *a morbis* quid sibi velit, frustra expiscamur. °

Mira est etiam ratio ablativi *in describendis remediis, cum qua re* vel *in qua re* aliquid sumatur. Velut XXII. c. XV. »*Succo* quoque in usu est urtica« i. q. succus urticae in usu est, et ibd. c. XXXII. »Hippocrates *semine* eius ad impetus lienis dari censet« — quae constructio verborum sane insolentissima est nec scimus aliud simile exemplum. Quae enim Gronovius h. l. collegit, omnia alius sunt generis, quale illud est: *et semine et folio additur in malagmata* — alia. In his enim subiectum, quod dicunt, suppletur; igitur erit: additur semine *suo*; non *eius*, ut loco a nobis citato, ubi etiam aut delendum *eius*, aut mutandum in *suo*, si rationem eius cum his, quae Gronovius aliique protulerunt, in concordiam redigere velis. — Simplicior est structura XXII. c. XLIX. de lasere: »*Et lanis mollibus* ad-movetur vulvae ad menses ciendos« i. e. *in lanis*, at non extricamus rationem casus huius XXXIII. c.

*) Hoc loco non praetereundum videtur, Plinio commune hoc esse cum poetis aliisque scriptoribus rariora sectantibus, quod antecedente vel subsequente praepositione ad nomen alterum pertinente, ante alterum eam omittit. cf. XXXVI. c. IV. 7. »Sed in maxima dignatione Cn. Domitii *delubro in* Circo Flaminio Neptunus Scopae;« vel XXXVII. c. XVII. »Ferunt in illa insula *tunulo* reguli Hermiae marmoreo leoni fuisse inditos oculos ex smaragdis; — vel aliter informatum XXXVI. c. XI. »Non absimilis illi narratur *in Thebis delubro* Serapis, ut putant Memnonis statua, dicatus (basaltes)« — quae sane mire transposita sunt pro *Thebis in delubro*; post *statua* nos interpunximus, ut sit constructio: non absimilis basaltes illi dicatus Thebis, i. e. statua Memnonis. Apud Plinium hic verborum ordo utut turbatus non debet offendere. — Similis etiam praepositionis omissio ibd. c. XLIX. »Nonnusquam vero et albi (silices), sicut in Tarquiniensi *Anicianis lapicidinis* circa lacum Volsiniensem;« erant enim hae lapicidinae *in agro* Tarquiniensi. Verum XXXVI. c. XIV. 7. (XI.), ubi nunc legitur: »in Vaticano, Cui et Neronis principum Circo« — virgula post *Vaticano* delenda; haec enim coniungenda sunt: in *Vaticano Circo*.

XL. »Minium in voluminibus quoque *scriptura* usurpatur.« Miramur quod nemo interpretum hoc in nomine haesit; *scriptura* pro *in* scriptura positum esse videtur.

§. 3. At sunt etiam loci, ubi ablativus ommissa *cum* — *ex* — praepositione positus adverbii vicem obtinere videatur. cf. IX. c. IX. »ubi cum homine delphini *societate* piscantur« i. e. una cum hominibus. — Sic *portione* apud Plinium pro *pro portione* vel *ad portionem* bis inveneris, ut XI. c. XXXVI. (XXX.) »Si quis comparet onera corporibus earum (formicarum), fateatur nullis *portione* vires esse maiores« i. e. pro portione corporum; vel ibd. c. XLVI. »Capita piscibus *portione* corporum maxima.« *Consensu* adverbii vim obtinet XVII. c. VI. »Ceteri auctores *consensu* humanas dapes ad hoc imprimis advocant« — verum nomen hoc etiam apud alios scriptores sic legitur.

Huc etiam referenda sunt Plinio peculiaria XXVIII. c. XLII. (X.) »Alii carnem recentem hordorum *pilo* suffiunt« i. e. *cum* pilo, vel XX. c. XXVI. »Quidam *lacte* infundunt« i. e. cum lacte infundunt clysteribus; vel XXIII. c. LIV. »quum *celebritate* assectarentur adolescentium scholae.«

Atque sic potissimum in describendis animalibus vel regionibus. cf. VIII. c. XXX. (XXI.) »Apud eosdem et quae vocatur eale, *magnitudine* equi fluvialilis, *caudā* elephantis; — mox infra: *facie* et *auriculis* hominis — et sic passim sexcenties; vel in describendis populis, ut VI. c. V. »Reliqua litorum ferae nationes tenent, Melanchlaeni, Coraxi, *urbe* Colchorum Dioseuriade iuxta fluvium Anthemunta« — i. e. Coraxi *cum* urbe vel quorum caput est Dioseurias; vel XXIII. (eiusdem libri) »Horatae, *urbe pulchra*« — et sic saepissime. Jam inde patet, quod statim in capite de ablativi absoluti usu uberius sumus explicaturi, quam abrupte et solute singulas sententias Plinius copulaverit.

Ex videtur supplendum XXXVI. c. XIV. 5. »Inscripti ambo (obelisci) rerum naturae interpretationem *Aegyptiorum philosophia* continent« — quamquam h. l. est insignis lectionum varietas. Quod si codd. consentirent, nos lectionem receptam servandam esse putarem; similiter enim XIV. 7. (XI.) »Tertius Romae obeliscus . . . factus est *imitatione* eius, quem fecerat Sesostridis filius« i. e. ad exemplum. — Huc etiam traxerim verba XVI. c. LXX. »Namque *iis* velificant (i. e. scirpis)« — quod significat: ex iis vela faciunt — atque locum obscuriorem XVII. c. XV. »*Sulco*, qui novenarius dicitur, circa positas arbores pedes terni undique e solido adaggerantur« quod Harduinus sic recte explicavit: Circa arbores novissime translatae terra adaggeratur *e* vicino solo atque sulco — *sulco* pro *e sulco* accipiendum.

Mirae etiam constructiones, quae *ablativum qualitatis* in *uno* vocabulo exhibent, ut in exordio libri XI. »Multa haec et multigenera (i. e. insecta, quod supplendum esse apparet) terrestrium volucrumque *vitā*« i. e. quae insecta partim terrestrium partim volucrum modo vitam agunt — vel XXXVI. c. XI. »Basaltes in templo Pacis ab Imperatore Vespasiano dicatus, *argumento Nili*, XVI liberis circa ludentibus« — i. e. lapis in quo caelaturae argumentum erat Nilus et pueri eius sedecim.

§. 4. At sunt etiam structurae, quae ad hunc modum explicari non possunt, sed breviloquentia quaedam est accipienda. Paucissima tantum proferamus. VI. c. XXIII. (XX.): »Hic deinde accolunt Indum adversum *evidenti demonstratione* Amatae, Bolingae etc.« — i. e. populi quorum iam facilius est nomina situsque demonstrare; — vel VIII. c. XLIV. (XXX.) de hyaena: »ab uno animali sepulcra erui (dicunt) *inquisitione* corporum« quae verba sane cum reliquo enuntiato vix cohaerent; *inquisitione* et temporis et causae significationem habet pro: dum inquirunt, cum quaerant corpora. Solutissima etiam

haec esse putant interpretes VII. c. L. (XLIX.) M. Mucius M. filius, Galeria Felix« — explicantes sic: e matre Galeria natus, cognomine Felix; — sed *Galeria* h. l. tribum significat, atque constructio haec ablativi usitatissima.

§. 5. Sed iam aggrediamur ad exponendam ablativi absoluti rationem et significationem. Hoc loco primum monemus, id quod sane tironibus etiam notum est, apud posterioris aetatis scriptores hos ablativos ita saepe interseri vel postponi enuntiato, ut inter eos et enuntiatum ipsum nihil plane sit coniunctionis et diversa sic continentur. Quod etiamsi interpretes Taciti aliorumque huius aetatis scriptorum iam observarint, tamen cum magis etiam apud Plinium adpareat, nobis non est praetereundum; proferamus igitur documenta rei. Lib. VI. c. XXVIII. »A promontorio Carmanis iunguntur Armozei. Quidam interponunt Arbios, CCCII. mill. passuum *toto litore*« VIII. c. XXXV. (XXIII.) »*Colla aspidum intumescere, nullo ictus remedio*« — quae plane hiant; cf. VIII. c. LXXXII. (LVI.) »Conditum enim et hi (sorices) cubant, rursus aestate iuvenescunt, *simili et nitelis quiete*«; XII. c. XXI. (X.) ubi de duabus cognominibus insulis in sinu Persico, Tyllis, agit: Arbores vocant gossympinos, *fertiliore etiam Tylo minore*, quae distat X. M. passuum; — vel XVII. c. VII. (VI.) 3. »*Verumque confitentibus* latifundia perdidere Italiam.« Contortiora sunt, quae leguntur ibd. c. XXXV. (XXIII.) 22. »Singulis (arboribus) denas saepe adnutriunt vites, *damnato agricola minus ternis*« memorabili breviloquentia pro: dum damnatur agricola (imperitiae et socordiae) qui minus ternas adplicet«; vel XIX. c. XLV. »Sed durata (ruta) runcatur non sine difficultate, *pruritivis ulceribus*« i. e. natis ex prurigine ulceribus, vel ulceribus prurimum facientibus. Haec est sincera lectio; altera, *provenientibus ulceribus* improbanda. *)

At magis etiam insignitur oratio Pliniana eo quod etiam futuri pass. participiis hanc constructionem indidit, quod etiamsi interpretum aciem non fugerit, tamen quia Plinii proprium est, ex ordine h. l. ex-

*) Jam supra monuimus, in describendo situ locorum populorumque brachylogiae mira inveniri exempla. Huius generis sunt ab usu vulgari longe remota III. c. XXI. (XVII.) ubi agitur de Oroborum stirpe et origine: »sed originem gentis ignorare se fatetur Cato, quam docet Cornelius Alexander ortam a Graecia, interpretatione etiam nominis vitam in montibus agentibus« — quae utut clara, tamen solute prolata sunt. — Sic VI. c. XXIII. (XX.) »Ipse Indus per XII. XL. M. p. *parcissimis auctoribus* navigatus« i. e. ex testimonio eorum, qui minimam vel brevissimam eius mensuram produnt. — XX. c. LVII., cum dixisset, cuminum silvestre pallorem bibentibus gignere, sic pergit: »et paulo ante Julium Vindicem, adsertorem illum a Nerone libertatis, *captatione testamenti sic lenocinatum*.« Sensus est hic: cum Nero testamentum vel hereditatem eius captaret, ille sic Principis cupiditati lenocinabatur, ut pallore potionum cumini simulato spem ei faceret, se brevi obiturum. — Quis est quin haereat in hoc abl. *captatione testamenti* ad aliud subiectum relato et in omissione obiecti verbi *lenocinatum*? — Nec illa minus offendunt XX. c. LXXVI. »Succus et hic et herbae uniuscuiusque lana excipitur, aut si exiguus est, ungue pollicis, *ut lactucis*« i. e. *ut in lactucis fieri* solet, quum ex iis incisis succus lacteus excipitur. — Alia ita sunt comparata, ut quae supplenda videantur ratio suppleri vetet, quae igitur potius omissa credas incuria editorum; ut XII. c. XVIII. »Ibi (in Ariana) et frutex pestilens *raphani*, folio lauri, odore equos incitante« — ubi ex loco Theophrasti, quem Plinius convertit, supplendum esse adparet: *magitudine* raphani. Ellipsis haec non ferenda, quamquam sunt etiam in hoc genere mira apud Plinium, ut *pedalibus* pro *laterculis pedalibus* XXXVI. c. XIV. 3. Sed huic farragini iam finem imponamus; unum tantum ablat. absoluti exemplum nolimus silentio transmittere, in quo non ratio ususve casus, sed significatio participii difficultatem movet. Lib. enim VII. c. XI. (XIII.) Crispinus Hilarus quidam in Capitolio immolasse narratur cum liberis novem, nepotibus XXVII., pronepotibus XXIX., neptibus octo, *prolata pompa*. Mira est haec participii vis pro: in *longum producta*, ampla pompa. Quaeritur num *prolatus* unquam hanc significationem habere possit; fortasse praeferenda altera lectio: *praelata* vel *praecleara*.

planare non gravabimur. Sic XV. c. XXXIV. »In siliquis vero quod manditur, quid nisi lignum est? non omittenda seminis earum proprietate«; vel XVI. c. LXVI. »hinc erant armamenta ad inclusos cantus, non silendo et reliquo curae miraculo« i. e. nec praetereundum quantum curae veteres in tibiis fabricandis consumserint; vel XXXII. c. XIV. (IV.) »Geminus similiter victus in aquis terraque testudinum effectusque par, honore habendo vel propter excellens in usu pretium.« In aliis eddts. interpunctionis signum post *par* omissum est; perperam — locus recte se habet et structura Plinii propria. Nam plane eadem ratio est XVIII. c. V. »Sapientes vero complures (de cultu agrorum scripsere), quos sequentes praetexuimus in hoc volumine, non ingrante nominando M. Varrone« et ibd. »Sex domini semissem Africae possidebant, quum interfecit eos Nero princeps, non fraudando magnitudine hac quoque sua Cn. Pompeio, qui nunquam agrum mercatus est conterminum« i. e. quo loco non debet privari merita laude Cn. Pompeius. — XXI. c. XLV. »Non enim et ipsis iam apibus cuspides dederat natura et quidem venenatas? remedio adversus has utique non differendo« quo loco ut aliis similibus, interrogandi signum potius post ablativum absolutum ponendum erat. — XXIII. c. LXX. »Ex immaturis moris succus sistit alvum, veluti animalis alicuius in hac arbore observandis miraculis, quae in natura eius diximus.« *) Sensus hic est: morus arbor quasi sensu et intellectu praedita nisi exacto frigore non germinat et una nocte germinationem peragit. — XXXIII. c. XIV. »Messala prodidit Antonium Triumvirum aureis vasis usum in omnibus obscenis desideriis, pudendo crimine etiam Cleopatrae« quae verba sic adpositionis instar adduntur hoc sensu: quod etiam in foemina pudendum crimen esset. Haec adpositionis ratio clarius etiam adparet XXVIII. c. XIV., ubi dicit, Lucullum servo suo imperasse, ut in conviviis quantum cibi sumeret, sibi praestitueret: »ultimoque probro manus in cibis triumphali seni deiciebatur (i. e. iam ori admota detinebatur) vel in Capitolio epulanti, pudenda re servo suo facilius parere, quam sibi.« Verba haec plane plinianum colorem nobis habere videntur neque adsentimur Pintiano, dicenti totum hunc locum falso tribui Plinio et a librariis per inscitiam insertum fuisse. At hoc nemo non intelligit, huius dictionis: *pudenda re* plane aliam esse rationem quam locutionis: *magno solatio*, quacum Harduinus eam comparat. — Meri autem ablat. absoluti locum occupant illa XXXV. c. XXXVII. »Ea sunt scripta antiquis literis Latinis, non fraudando et Ludio« — ubi non tam haec structura verborum offendit, quam potius usus

*) Haec dictio minus accurata »diximus in natura eius« pro: diximus *eo loco, eo capite, ubi* naturam eius tractavimus — Plinio familiarissima, quod exemplis paucis explicare non a re erit, ut inde etiam perspicuum fiat, quantumtopere usus Latinitatis (posterioris maxime) a nostra consuetudine abhorreat. Quotusquisque enim est qui hodie ferat eiusmodi orationis compendia, quae apud Plinium passim inveniuntur? Non solum enim utitur his dictionibus: *in natura avium diximus* XXXV. c. XLVI; — *in ambitu* Oceani diximus XXXIV. c. XLIII; — vel: *dicta sunt in ambitu terrarum* (i. e. in libris geographicis) XXXVI. c. XI.; *diximus in effectu plumbi* XXXIV. c. XXXIII.; sed concisius etiam »*diximus in oculis*« XXXII. c. XLVII. (i. e. capite, quo de oculis egimus), vel XXXIII. c. XXXV. *dicemus in plumbo*; XXXIV. c. L. *ut in crudo plumbo dictum est*. Similia sunt in aliis etiam dictionibus; cf. XXXV. c. XXXVI. l. »Euenor de quo *suis annis dicemus*« i. e. quando pervenerimus *ad laudandos aetatis eius* artifices; vel XXXVI. c. XXVIII. »Theophrastus *auctor est translucidi lapidis in Aegypto*« i. e. auctor est, lapidem translucidum in Aegypto inveniri. Hanc enim lectionem sinceram esse et vere Plinianam persuasum habemus. Ne in reprehensionem incurramus, quod quae digerenda erant ordinatius, incondite miscuerimus, iam subsistamus, uno tantummodo alio brachylogiae exemplo commemorato XXXVI. c. XIII. l. »Distat ab onyche *in unguentorum fide* Lygdius lapis« i. e. in unguentis diu integre incorrupteque servandis.

fraudandi sine casu; sensus enim est: quamquam ne Ludii quidem laudes praetereundae sunt. Quod in aliis codd. additum est: non fraudando et *sua gloria* Ludio — id sane necessario requiritur. Tandem XXXVI. c. XXIV. 3. de cloacis: »durant tamen a Tarquinio Prisco annis DCCC. prope inexpugnabiles, non omittendo memorabili exemplo« — quae omnino non cohaerent.

§. 6. Jam cum Plinius huic soluto casu ablativi usui adsuesset, factum est, ut pluribus locis posuerit eum etiam in adpositione, quam dicunt, aliis casibus adiunctum, licet non omnibus his locis certa sit lectio. Sic legimus II. c. CX. (CVI.) »Campus Babyloniae flagrat, *quadam* veluti piscina ingeri magnitudine.« Quamvis confiteamur structuram hanc esse insolentissimam, nolimus tamen simpliciore m lectionem praeferre: *quaedam* veluti piscina — diligentiore sermonis Pliniani observatione edocti. Nam perinde se habent illa III. c. XI. »Insulae per haec maria primae omnium Pityusae a Graecis dictae, nunc Ebusus vocatur utraque, *civitate foederata*« pro *civitas foederata*; (nisi h. l. ablativum qualitatis accipere malis, ut genitivus eiusdem notiois legitur IV. c. XIX. (XII.) »cum urbe eiusdem nominis Coreyra, *liberae civitatis*« i. e. cuius cives liberae sunt conditionis); — vel X. c. XLIII. »Lusciniis diebus ac noctibus cotinuis XV. garrulus sine intermissu cantus, densante se frondium germine, non in novissimis *digna miratu ave*.« *) ubi qui praecedat ablativus — *densante = germine* — constructionis asperitatem quodammodo mitigat. At negligentior oratio XVI. c. LXXI. ubi de arundinibus: »contra bombyciae (fiunt arundines) maturius reciproco (i. e. quum aqua copiosa non permansit); graciles, feminarum, latiore folio atque candidiore, modica lanugine aut omnino nulla, spadonum nomine *insignibus*.« Haud dubie exspectaveris *insignes*, quippe quod ad *graciles* referatur, atque sic etiam legit Delechampius, quamquam lectio illa codd. non est sollicitanda. Similis enim ratio locorum XXI. c. LXI. »Cichorion et *similia* circa terram folia habent, *germantibus* a radice post Vergilias« neque recipienda lectio codd. V. *germant*, atque XXV. c. XCII. (XIII.) »Utriusque *succus* oculorum caliginem discutit cum melle et ex ictu cruorem et argema rubens, magis cum attico melle *inunctis*« pro *inunctus* s. c. succus. — XXXIII. c. XXIX. »in templo *Anaitidis*, *numine* sacratissimo« et loco sane desperato XXVIII. c. XII. quo de Magorum commentis agit: »*Fulmine utique percusso*, circumactum in vulnus hominem loqui protinus constat« (V. codd. habet: fulminis percussu, quod fortase magis placuerit. **) Atque sic etiam in particip.

*) Hanc lectionem: *in novissimis digna* haud cunctanter recepimus, improbantes a Harduino receptam *in novissimum* quippe quae consuetudini auctoris repugnet. Est enim haec Plinio propria circumlocutio superlativi *in novissimis* (non: in novissimum), ut XVI. c. XCH. »nam et hoc praeter fructus agnoscitur *non in novissimis mirabile*« i. q. quam maxime mirabile; XXXII. c. IX. »Nec illa *in novissimis* mira.« Atque etiam in aliis dictionibus sine adiectivo, ut XVIII. c. XXXIV. de frumento et faba: »ante omnia namque cunctis animalibus nascuntur *nec in novissimis satiant* ruris alitum quoque genera« et ibd. c. LXV. 3. »Ac *non in novissimis* cavetur, ne fabis florentibus attingatur edera« i. q. valde, praecipue cavetur. Inde etiam dicendi ratio *non in novissimis ponere* pro *magni facere* XX. c. XCVI. »Sane et Nicander *non in novissimis* posuit (hippomarathrum)« i. e. efficacius esse dicit. Hanc circumlocutionem apud alium quemquam scriptorem invenire me non memini.

**) Quae leguntur XXI. c. XXIII. »Summa eius (amaranthi) natura in nomine est, *appellato* quoniam non marcescit« ex usu Pliniano propemodum duplicem explicationem admittunt. Etiam si enim *appellato* simpliciter ad *nomine* referri potest, exquisitior tamen ratio suadet, ut *appellato* ad *eius* referamus. — Nonnunquam duae constructiones quasi miscentur, ut XI. c. CVIII. (XLVIII.) »*Insectorum* pedes primi longiores duos *habentibus* oculos« i. e. *insectorum* *habentibus* vel *insectorum habentium*.

fut. pass. XVIII. c. XXXIV. »In transeursu ea (s. e. rapa) attingere nostri, paulo diligentius Graeci, et ipsi tamen inter hortensia, si iustus ordo fiat, a frumento protinus aut certe faba *dicendis*, quando alii usus praestantior ab his non est.« Locus hic haud dubie plura a sermonis usu remota exhibet. Primum *dicendis* more Pliniano positum pro *dicenda*, pertinet enim ad *rapa*. Delechampus habet quidem *dicenda*, quod cum e coniectura emanaverit, non satis probandum. Tum *a frumento* i. q. *post frumentum* *) et, quod multo insolentius est: praestantior *ab* his, (i. e. *a* praepositio post comparativum), quam constructionem apud scriptores posteriores non plane fuisse inusitatam grammatici docuerunt. v. Handii Tursellin. T. I. p. 44.

§. 7. Habet hoc etiam Plinius proprium, quod in tradendis morborum remediis saepissime ponit solute casum, qui sitne dativus an ablativus merito quaeri potest. cf. XX. c. XC. »*Capitis doloribus* decoctum in aceto illinitur *temporibus*«. Jam h. l. profecto *capitis doloribus* accipias pro ablat. absol. (beim Kopfschmerz), cum locus addatur, cui decoctum illinatur, at qui usum sermonemque Plinii diligentius cognitum habuerit, sciet in eiusmodi enuntiatis non ablativum casum, sed dativum locum habere. Solet enim Plinius omnia haec curandi et medendi verba per metonymiam ita usurpare, ut remedium hoc non *vulneri, ictui*, corporis parti laesae imponi, illini, vel omnino adhiberi dicat, sed *dolori, accessionibus*, morbo ipsi; inde dativus. Quemadmodum enim XX. c. XIII. dixit: »*aurium gravitati* succum raphani instillant; XX. c. XIX. Folia ex vino lumborum *dolori* illinuntur; XXIV. c. XCII. infunditur aurium *dolori*; XXII. c. XXX. *stranguriae* illinuntur — et similia, ubi forma casum designat, sic etiam terminatione ambigua casum pro dativo habendum esse facile colligimus, ut XX. c. VI. »Caro eorum *epiphoris* oculorum aut *doloribus* imponitur; XX. c. LXXXI. (XX.) »*ardentibus febris* imponitur in polenta« vel XX. c. VIII. »Semina eius si fuerint pari numero adalligata *febris*« cuius casus explicatio sane incerta est. Sed sic passim legitur *dativus*: illinuntur *podagris, igni sacro*; canum *morsibus* illinuntur XXII. c. XLVII. (XXIII); — *eruptionibus* pituitae illinuntur — pluribus locis. Nonnunquam alia etiam accedit catachresis, ut XX. c. XVIII. »Boum *morbis* tritum infunditur« i. e. *faucibus* eorum, vel XXVI. c. XLVII. »colo infunditur hemina succi« i. e. in coli tormentis. Verum non modo illinendi, infundendi et imponendi verba sic cum dativo iunguntur, sed etiam dandi et bibendi et similia, inter remedia usurpata, ut XX. c. LXXXI. (XX.) »*Dysenteriae* et vomiceis *estur* ex aceto«; — XXIII. c. LH. »datur cortex palmae *bibendus renum vitii*«; — XXVI. c. XIX. »*Jocinori* Teueria *bibitur*« — vel ibd. c. XXVIII. (VIII.) *Tenesmo* *bibitur*; perinde atque XXVIII. c. XXVII. lumborum *doloribus* carnes

*) Praepositione *a* Plinius pro *post* saepe usus est, ita ut ne hoc quidem praetereundum sit. Sic XXI. c. LVIII. de tribolo: »sequitur *a frugibus*« i. e. *post fruges* in segetibus atque cultis sponte nascitur. XXXV. c. LVII. »Candidis vestibus saxum (i. e. creta) utilius *a sulphure*« i. e. postquam vestes sulphure sufflitae sunt; — vel XXXIV. c. II. »Hoc aes Marianum *a Liviano* cadmiam maxime sorbet« i. e. post, vel si Livianum aes exceperis. — Huc etiam pertinent XXXVII. c. XVIII. »Sistitur *ab* hoc remedio alvus aquae frigidae potu« atque XXXV. c. XXXV. (IX.), ubi disserens de Polygnoto Thasio quantum hic in arte sua novaverit, pergit: »instituit os adaperire, dentes ostendere, vultum *ab* antiquo rigore variare« i. e. misso illo antiquorum more, qui vultus rigidos facerent, ille eos lineamentis distinguere coepit. Sic saepe legimus: *ab his* laudantur pro: secundo post haec loco, ut XXXVII. c. XVIII. Jam memorabilia sunt, licet diversi generis, XVI. c. XV. (IX.). »Scribit in recenti cortice ad duces explorator, incidens literas *a succo*« quod explicant: succi madidi opera vel beneficio literas inscribit in cortice, minime conspicuas. Quae profecto mirum quantum offendunt: Delechampus exhibet: incisas literas tegente succo.

edendae; — XXX. c. XIX. (II.) »Senectus anguium *dysentericis* et *tenesmis* decoquitur«; — XXXI. c. XXXIII. »*Suffitur* eadem cum aceto capitis *doloribus*«, quamquam aliis locis est *estur contra* venena XX. c. XXI.; bibitur *propter* colum, bibitur adversus scolopendras, bibitur *ad* serpentium ictus — quae passim inveniuntur. Sic porro explicanda eademque casus ratio in illis V. Praefat. (p. 259.) »cuius (luxuriae) efficacissima vis sentitur, cum *ebori citroque* silvae exquirantur, omnes scopuli Gaetuli muricibus ac purpuris« i. e. cum silvae exquirantur, ut inde ebur citrumque advehatur; — vel V. c. XI. »Mareotis lacus euripo e Canopico ostio mittitur *mediterraneo commercio*«; — vel XVIII. c. XXIX. 2. »emicant fontes *dentium firmitati*«, unde adparet ibd. c. LXXII. »Culmum saxosis locis quum inaruit baculo frangunt, *substratu animalium*« *substratu* non esse ablativum, ut Forcellini in lexico s. v. *substratus* scribit, sed dativi contractiorem formam; i. e. culmum frangunt, ut animalibus substernatur. Eadem tandem constructio obtinet XXXII. c. XXX. 9. »iocinoris *doloribus* scorpio marinus *necatur*« et XXXIII. c. I. »*terra divitiis foditur* quaerente vita aurum.« *) Sed iam subsistamus.

In transcursu monemus, adiect. *altus* apud Plinium cum ablativo etiam iungi; ut XXV. c. CII. *palm*o alto caule; XXVI. c. XXII. folio — *palm*o alto; non esse igitur Palladium primum huius abnormis structurae auctorem. — *Longus* cum ablat. saepe iungitur, ut IV. c. XX. *Cea quingentis* longa *stadiis*.

Quod supra diximus in locutionibus ad remedia describenda usurpatis plura per metonymiam explicari posse, veluti si legimus »*dysentericis* vel *tenesmis* decoquitur«, cui facile adposita alia invenias, ut XXIV. c. XIV. (VI.) »*Lassitudines perungi* cum aceto utile est« — quod profecto audacius dixit, id cogit nos quodammodo, ut hoc extremo capite pauca de metonymiae usu, qualem apud Plinium inveniamus, exponamus.

Primum h. l. monendum, tropum hunc eius esse generis, ut effectus et causae notiones confundantur et ita, ut vulgo hodie dicunt, abstractum pro concreto ponatur. Sic XX. c. XXXIV. »*Muris aranei morsus* foliorum aridorum farina alterutra parte exinanit« i. e. *virus*, quod *ex morsu* in corpus infunditur, tollit et purgat corpus vel vomitu vel alvo deicienda; — XXIV. c. XXXVI. »*Semen iuniperi tusses* concoquit« i. e. pituitam, quae tussim excitat. Inde etiam *taedium* tropice XXIII. c. XVI. »*Tibiarum taedio* cum sale illinuntur (folia vitis albae)« i. q. ulceribus putridis, atque saepe usitatum de insectis atque animalculis, quae sunt nobis taedio, ut XXXIV. c. L. (XVIII.) »non sunt ea *taedia* in metallis.« Inde etiam *genitura* apud Plinium saepe usurpatur pro semine et *conceptus* pro fetu, ut XVII. c. XXXV. 2. *conceptus* inchoatos pariunt. — Aut *locus* significatur abstracto; veluti XXV. c. VIII. (IV.) »herba effossa inter *difficultates saxreas*« i. e. locis saxosis, vel XXVIII. c. XLII. »Lupi excrementis circumlini *suffusiones* prodest« i. e. palpebras suffusorum oculorum. Sic *cibi exitus* pluribus locis dixit pro foramine sedis vel podice, ut XXVIII. c. XXXIII. »si *exitus cibi* rosionem sentiunt« i. e. ἐν δίξει ἐντέρων; — vel *morbos* pro loco male affecto; XXXI. c. XLVII. »Imponuntur et his *morbis* quos vaporari oporteat« non enim morbi calore foventur, sed partes corporis. Atque sic etiam explicare

*) Omnino monemus, Plinium ut in describendis regionibus et locis, sic etiam in enumerandis remediis, quae plantarum animaliumque genera praebeant, diversissimas miscere constructiones dativi — praepositionum *ad* — *contra*, omisso verbo regente. cf. XXIII. c. LXXXII. »Radix myrti silvestris in honore est, decocta vino, *ad* renum dolores pota, et *difficili urinae*«; vel XXIV. c. LIV. »Medici autem rhoicis (foliis) utuntur ad contusa; item *coeliacos* et *sedis ulcera*, trita cum melle« (i. e. sanant vel iuvant haec folia, quod supplendum). Quae supina, negligens et soluta oratio fortasse documento erit, auctorem nec in deligendis rebus nonnunquam diligentiore fuisse. — Sunt etiam haec, quae memoravimus verba cum ablativo constructa, ut XX. c. LI. Vulvas aperit (ruta) corrigitque conversas illita in melle *toto ventre* et pectore. [V. habet *illito* cum melle.]

potes XXVIII. c. XLIX. *dolorem scarificare* i. e. locum, ubi dolor sentitur; *scarifico* enim per se non significat *scarificando tollere*. — Haec omnia ad unum quodammodo caput referuntur, ad rationem qua in medicinis praescribendis varias notiones confuderit. Praeter haec plura insolentius dixit, ut in Praefat. pro civibus omnibus *imperium*: »ut sciant omnes, quam ex aequo tecum vivat *imperium*«; vel VII. c. LIV. (LIII.) *studia* pro factionibus. H. l. enim in rogum Felicis cuiusdam russati coniecisse se unum e faventibus dicit, quod ne gloriae illius daretur, *adversa studia* criminata esse illum hoc fecisse copia odororum corruptum i. e. mente alienatum. Quae omnia tumidi sunt et inflati dicendi generis. Nec minus quaesitum, quod legimus VIII. c. XVII. quo loco narrat, se plura hausisse ex naturali historia Aristotelis seque sperare fore ut lectores hoc boni consulant, »in universis rerum naturae operibus *medioque* clarissimi regis *desiderio* cura nostra breviter peregrinantes« i. e. cura nostra cognoscentes ea quae rex clarissimus digna cognitione nosse cupierit, vel *opus ipsum* Aristotelis hortatu regis conscriptum. — Nec memini me unquam legere *natales* pro *fetu*, *pueris*, ut VII. c. X., ubi mango dicitur Antonio triumviro duos eximia forma pueros ut geminos ingenti pretio vendidisse: »diversarum quidem gentium *natales* tam concordi figura reperiri, super omnem esse taxationem.« — Nemo sane miretur *delicias* metonymice positum XXII. c. LVI. »Salutem quidem sine his (i. e. odoribus atque unguentis) posse constare vel ob id probabimus, ut tanto magis *sui delicias* pudeat« — i. e. ut *homines delicatos* tanto magis sui pudeat; — at multo audacius dictum videtur XXVIII. c. II. »Sanguinem quoque gladiatorum bibunt, ut viventibus poculis, *comitiales morbi*.« Hanc lectionem Gronovius et Harduinus haud iniuria tuerentur, insolentissimam illam quidem, sed apud Plinium ferendam. *Comitiales morbi* h. l. idem est atque »comitiali morbo affecti«; hi bibunt gladiatorum sanguinem, »ut viventibus poculis« i. e. *quasi* pocula haec calorem vitalem habeant et bibentibus eum praebeant. Non mirandum, alios h. l. alia coniecisse et correxisse, sed frustra. *Morbus* pro *morbo affectus* non minus offendit quam *mors* pro *corpore* vel *cadavere* positum XIV. c. XXIII. (XIX.) »iuxta quam *hominis mors* laqueo pependerit«, vel *stellantes volatus* XVIII. c. LXVI. 2. pro *cicindelis* vel lampyridibus, genere insecti noctu lucentis; — vel *cruditates* pro cibis crudis et indigestis, ut XXXII. c. XXXI. »legimus *cybia* vetera purgare et *cruditates pituitamque* trahere« i. e. cibos indigestos extrahere vel educere. — *Metu* pro *re metuenda* usus est XXXI. c. XXXVII. »est *in metu* peregrinantium, ut tentent valetudinem aquae ignotae« i. e. inter cetera quae peregrinantes metuunt est etiam illud. — Vix quod commemoretur dignum XXXII. c. XI. »sureculi *infantiae* adalligati« pro: *infantibus*; XXXVI. c. XL. »*proscriptionum* sectrix Metella« pro: *bonorum* proscriptorum; vel *monstra* pro sacris monstruosis XXX. c. IV.; — at exquisitius et plane poetarum more dixit XI. c. IV. (V.) de apibus: »tanta est natura rerum, ut prope ex *umbra* minimi animalis incomparabile effecerit quiddam« quo l. *ex umbra* animalis dictum est pro: *ex umbratili*, in umbra degente animali. Verum XXX. c. II. »Menander *literarum subtilitati* sine aemulo genitus« quomodo essent intelligenda, ex Gronovii adnotatione nos certe colligere non potuimus. Hic enim l. l. adscripsit, verba haec esse praeconium ipsarum Athenarum: Nos quidem non existimamus hoc loco Athenas respici, sed simpliciter *subtilitati literarum* dictum esse pro litteris, in honorem literarum. De aliis notionum commutationibus et complexionibus iam h. l. agere non licet, veluti si *pituitam* pro morbo usurpavit XXVI. c. L. »*Jumentis in pituita* et stranguria succurrit«; vel XXII. c. XV. (XIII.) mira quadam breviloquentia: »Si quadrupes *fetum* non admittat, urtica naturam fricandam monstrant« i. e. *marem ad feturam* non admittat; — vel XXXVII. c. XL. »*Quintum genus amethystorum* ad viciniam crystalli descendit, *albicante purpurae defectu*« i. e. colore purpurae deficiente et in subalbum vertente — quae omnia accuratius sunt digerenda.

Wannowski.